


A. Ω.

THERMAE VARADIENSES

EXAMINI PHYSICO ET MEDICO SUBJECTAE,

ITEM

DE ILLARUM VSU SALUTARI:

SIMUL CUM OBSERUATIONIBUS MEDICIS.

NEC NON

DE SALE MEDIO IN IIS CONTENTO.

CUJUS OCCASIONE

DISSERTATIO INSERITUR,

DE NATURA SALIUM.

NOMINATIM VERO

DE SALIBUS

QUI CIRCA DEBRECINUM COLLIGUNTUR.

NITRO NOSTRI TEMPORIS, ET VETERUM,

SEU

NATRO ID EST, ALCALINO FOSSILI, VEL SAPONARIO DEBRECINENSI

PER

STEPHANUM HATHVANI,

MEDICINÆ DOCTOREM, PHILOSOPHIÆ ET MATHESEOS PROFESSOREM.

IN COLLEGIO DEBRECINENSI.



VIENNAE,

APUD RUDOLPHUM GRAEFFER, 1777.

EXCELLENTISSIMIS ATQUE ILLUSTRISSIMIS

DOMINIS COMITIBUS

D. FRANCISCO DŐRI DE JOBAHAZA

VTRIVSQVE SACR. CAESAR. ET REG. APOSTOL. MAIESTATIS CAMERARIO, ACTVALI INTIMO STATVS CONSILIARIO, INCLYTI COMITATVS ZEMPLENIENSIS SVPREMO COMITI, EXCELSAE TABVLAE SEPTEMVIRALIS ADSESSORI, ET COIVDICI ET PER INCLYTVM REGNVM HVNGARIAE PINCERNARVM REGALIVM MAGISTO &c.

D. ANTONIO KÁROLYI DE NAGY KÁROLY.

ARCIVM ET DOMINIORVM KAROLY, ERDöD, BELTEK, TSONGRAD, MEGYER ET SVRANY HAEREDITARIO DOMINO, INSIGNIS ORDINIS MILITARIS REGIO - THERESIANI EQVITI. INCLYTI COMITATVS SZATHMARIENSIS SVPREMO COMITI. VTRIVSQVE SACR. CAESAR. ET REG. APOST. MAIESTATIS CAMERARIO ET ACTVALI INTIMO STATVS CONSILIARIO. GENERALIS CAMPI MARESCHALLI LOCVM TENENTI VNIVS LEGIONIS PEDESTRIS ORDINIS HVNGARICI COLONELLO. AD EXCELSAM TABVLAM SEPTEM VIRALEM ADSESSORI ET COIVDICI. NEC NON PER INCLYTVM REGNVM HVNGARIAE DAPIFERORVM REGALIVM MAGISTRO AC IN DISTRICTV VNGHVARIENSI ET MAGNO VARADIENSI SVPERIORI REGIO STVDIORVM ET SCHOLARVM DIRECTORI. &c.

D. STEPHANO ANDRÁSSI DE SZENT KIRÁLY,

ARCIS ET DOMINIORVM KRASZNA HORKA, CSETNEK, MONOK ET SOMOS, HAEREDITARIO DOMINO, VTRIVSQVE SACR. CAESAR. ET REG. APOSTOL. MAIESTATIS CAMERARIO INCLYTI COMITATVS BIHARIENSIS SVPREMO COMITI. &c.

VI.

VIRIS

QVOS AVGVSTISSIMA IMPERATRIX ET REGINA PROPTER INSIGNES VIRTVTES ET MERITA HONORIBVS AC MVNERIBVS AVXIT.

REGNVM AVTEM


VT CIVES HVNGAROS ET PATRIAE COLVMINA SVSPICIT VENERATVRQVE

HOC QVALECVNQVE OPVSCVLVM SVVM IN TESTEM ANIMI GRATI ET DEVOTI

IS, QVEM SVA GRATIA COMPLECTI ET CVI SEI, IDQVE QVOD CARISSIMVM HABENT TOTIES CONCREDERE DIGNATI SVNT OFFERT.

humillimus cliens

STEPHANVS HATHVANI.
Nobilis Hungarus, ex Comitatu Honthensi.
Debrecini a. d. XV. Octobris A. R. S. MDCCLXXVI.



PRAEFATIO.



§. I.

Libellus hic, quem in publicum emitto: nullis minus, quam iis, qui me propius norunt, ſatisfaciet. Neque ipſe ego diffiteor, omne aliud potius: quam huius argumenti ſcriptionem, Amicos quos habeo, iure ſuo à me exſpectare potuiſſe. Quis enim animo facile concepiſſet, hominem, qui ſe olim lectioni Patrum Ecclesiae, et ritibus eius antiquis penitius

cognoſcendis immerſerat; (*a*) ac poſtea in ea inprimis Philoſophiae parte, quae mores et vitam hominum informant, ipſumque ius privatorum et publicum ſpectant, magnam aetatis ſuae partem impendit: nunc tandem, ad hanc Scientiae Naturalis diſcplinam, oculos calamumque ſuum deflexiſſe? Tacebo enim nunc de iis, quae Mathemata, aut diſciplinae ſanctiores ſuo iure ſibi vindicarunt. Dabunt tamen mihi veniam: ſi honeſta aliqua excuſatione, hoc factum meum tueri poſſim. Familiare id omnino mihi eſt, cum aliis mei ordinis hominibus, ſi quod mihi, quandoque, inter tot negotia, quibus totus obruor, contigit otii: tum ea quæ in locis certis obſervavi, dum campos, montes, villas, oppida, civitates pertranſibam: in chartam fugientem coniicere. Ne proinde illae prorſus intercciderent: non ita pridem,

(*a*) Vide ſi vis nova Acta Eruditorum Lipſienſia Anni 1751. P. II. pagin. 189. 190. Et MVSEI HELVETICI Tom. II. P. VIII. pagina 575. 625 Tiguri Anno 1747. Item de Philoſoph. Vtilitate in Theolog. &c. Baſileae Anno 1757. in 4. Et Introduct. ad Princip. Philoſ. Anno 1757. Debrecini.

dem, id consilii cepi, vt ea, quae eiusdem sunt argumenti: in ordinem aliquem cogerem. Ex iis nunc, hanc quam exhibeo particulam delegi. Num verò hac ratione, in Physices, aut etiam rei Medicae, ac Litterariae commodum, aliquid a me praestitum sit, vel minus? de hoc negotio, Viri Eruditi, et qui his Sacris initiati sunt, iudicabunt.

§. II.

Quamquam vero primo intuitu, nimis vulgare, ac vbique obvium videatur esse argumentum, in cuius caussas, ac effectus diligentius inquirere volui: nemo tamen non fatebitur, divitias Naturae, sic palam et publicè prostare: vt tamen saepe magnam earum partem, ab oculis nostris abscondat. Hos vero thesauros, non alia vlla ratione: quam post varii generis experimenta, in corporibus instituta, adtentis Observatoribus, Natura exhibere solet. Et tamen, quis in corporum examine ignorat; vbi quis iam experiebatur, et tentabat omnia; tamen vix vltra corticem illius, quod intus materia occultaverat, nobis spectandum praebere? Magnam certe sui partem, Natura nos celat. Immo Schola Naturae, quaedam Sacra Eleusyna sunt:

quae illam frequentantibus; ſemper aliquid novi offert. Hic ſane, poſt largam aliorum meſſem: etiam venturae aetati, cum inſigni vbertate: ſpicilegium amplum relinquitur.

§. III.

Quis neſcit fontes calidos, præter vſum balnei, quo ſordes corporis abſterguntur: etiam ad cannabem, linum macerandum, vt haec eo promtius in fila duci poſſint, a ruſticis mulierculis optimo cum fructu adhiberi. Hic ne ergo eſt vnicus vſus, in quem benigiſſimus Naturae Parens, tantum theſaurum hominibus indulſit? Sagax hominum ingenium, ac diligens ſolertia; ſero demum, poſt audacia pericula capta intellexit: vi Medica, huius generis fontes gaudere. Verum vnde virtutes illae aquarum pendeant? hoc opus, hic labor erat, non divinare aut hariolari; ſed eruere. Audax mortalium genus, etiam in cauſſas, perennis illius caloris quaeſivit: quae fontes illos, aeſtuare faciunt. Neque id infeliciter, antiquorum Phyſica detexit: vti id, non modo ARISTOTELEM et HIPPOCRATEM; ſed etiam DEMOCRITI Scholam vidiſſe: in commentatione hac oſtendi. Quid enim aliud, niſi Democri-

ti

ti Physicam, elegantissimis carminibus LVCRETIVS complexus fuit? Illorum oculis adiuti, non diffiteor nos hodie, non tantum certiora: sed etiam excellentiora in Physicis videmus. Immo in bene multis, fere supera, infera, mediaqua, de quibus illi, ne cogitaverant quidem, distinctissime contemplamur. Et tamen, vel hoc nomine, magnam illis nos gratiam debere: lubens agnosco; Illi enim qui sequentur, mirabuntur, nos hodie tam aperta ignorare; quae olim in lucem proferet aetas. Non solum hoc de Stellis erronibus seu Planetis, eorumque stationibus; quare agantur retro? aut nunc in directum ferantur? verum est; vti SENECA sapientissime iudicabat: (*b*) sed etiam de corporibus maxime obviis. At ea lege omnes nati sumus: vt alii aliis, lampada tradamus.

§. IV.

Observationes solum paucas, de fontibus VARADIENSIBVS instituere potui. Quid enim homini, qui ad radium ARCHIMEDIS, in pulvere haeret; aut in Schola PLATONIS, vel SOCRATIS et DEMO-

(*b*) Luc. Ann. Seneca Quaest. Natur. Lib. VII. Cap. XXV. p. m. 593.

MOCRITI verſatur: cum clinicis AESCVLAPII; qui ad fontem ejus in delubro iacent, commune eſt? Totum illa me occupant: nec alias, niſi dum aliqua ab iſtis ſeverioribus diſciplinis, mihi relaxatio contingit: in gratiam illorum, qui vel neceſſitudine, vel amicitia mihi coniuncti ſunt: ad Apollinis Sacra venio. Si forte id vnum exceperis, Summis illis Viris, qui in Martis caſtris ſtipendia merent, dum apud nos verſabantur: operam meam requirentibus, nec denegaſſe, nec voluiſſe. Sed nec invito Apolline, filiis Martis ſuppetias tuli. Et ſane, haec ſi fuiſſet praecipua pars laborum meorum, ut in Machaonicis artibus verſer: nihil erat facilius, quam vt Centurias Obſervationum; etiam de fontibus VARADIENSIBVS colligam. Illi, quibus plus otii eſt: plura his paucis, quae adtuli: nullo negotio adiungent. Ceterum ſi Medici noſtri, eadem via, quam ego conſectabar, fontes Hungariae ſalutares explorabunt: fiet omnino, vt Nobiliſſimum Hungariae Regnum, in Senatu Gentium Europae cultiorum: ſplendidiore veſte ornatum, etiam quoad Scientiam Naturalem, comparere poſſit. Inſuper, hoc modo Cives Noſtri Hungari intelligent, non deeſſe

ſibi

ſibi theſauros, quos in vſus ſuos convertant: modo prudens Monitor et viae dux accedat. Miſſas hoc modo facient aquas Selteranas, Egranas, Spadanas. cet. nec deſiderabunt thermis Carolinis, vel Aquisgranenſibus, cet. vti: ſi fontium noſtrorum virtutes, penitius cognoſcent.

§. V.

Quoniam vero, de virtutibus fontis VARADIENSIS, non aliter quis recte iudicium feret, quam ſi id ſciat: quale ſal in ſinu eius hoſpitetur? hinc in gratiam eorum qui Phyſices ſtudio delectantur: doctrinam de Salibus adtigi. Generalem hic Theoriam ſalium dedi: ita tamen ut ſpecies quaelibet ex ſuis veris characteribus dignoſci poſſit. Nihil fere novi, hic à me prolatum eſt. Verum enimvero, quoniam ſtudium CHEMIAE, ſaltem ad annum huius ſaeculi ſeptuageſimum, in Academiis et Scholis Hungaricis fere ignotum fuit; ſpecimen aliquod tenue dare volui, vnde ii, quibus id curae eſt intelligant; iam illinc ab Anno 1750. Auditores meos, in hac ſcientiae Naturalis parte: non porſus hoſpites fuiſſe.

§. VI.

Ex hac autem doctrina de Salibus, id quoque perſpici poteſt: ad quod igitur Salium genus, NITRVM illud utrumque, quod circa DEBRECINVM colligitur: referri debeat? Atque hoc forte vnicum eſt, quod Eruditorum in Europa: aliquam adtentionem merebitur. Vtrumque enim illud NITRVM, cum vulgare, tum vero Alcalinum foſſile Debrecinenſe ſaponarium, ſeu Veterum: apud nos in campis patentibus, ſub dio, ex ſuperficie arearum, id eſt humo ſabuloſa, pulverulenta, colligitur. Quid quod Nitrum noſtrum Alcalinum foſſile, ſeu Saponarium, vel ſi mavis NATRVM; non modo in chryſtallos priſmaticas: ſed etiam in duritiem lapideam cogi poſſe: in Commentatione hac, oſtendi. Vnde liquet, hoc Nitrum Saponarium, in dolia quoque compingi, ac etiam aliorſum, ſi neceſſitas et vſus poſtulet; commode transferri poſſe.

§. VII.

Notiſſimum vero eſt, in aliis Regnis, NITRVM vulgare, ortum ſuum debere excrementis animalium, et horum putrefactis cadaveribus: item cineribus planatarum

rum exustarum, sed non elutis: tandem calci vivae. Nascitur proinde illud, ex terra pingvi, alcalina. Nihil huic simile in Nitro nostro observes. Terra enim est sterilissima, mollis, sabulosa, campestris; plantis nutriendis et proferendis, inepta. Nitrum vero Saponarium, seu alcalinum Debrecinense; NITRO illi veterum, quod HERODOTVS et PLINIVS descripsere: simillimum est. Plura iam addere nolo. Id solum postremo adiiciam, si quid hoc Scriptum habet, quod ad Historiam Naturalem ornandam, et sic etiam ad dotes Regni Hungariae enarrandas facit: id vero Illustrissimi & Eruditissimi ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Consiliarii, et Caes. Regiae Bibliothecae Direcroris cet. nec non Illustr. ac Celeberrimi NICOLAI JOSEPHI JACQIN, S. C. R. A. Majest. in re metallurg. et monetaria Consiliarii, Chemiae et Botanices in Antiquiss. Vniuersitate Vindobonensi Professoris solidissimi cet. beneuolentiae ac humanitati, in acceptis ferendum esse. Mansisset enim sepultum opus, nisi ILLE ad perficiendum libellum, mihi animum addidisset: HIC vero, vt qualiscunque hic foetus, intercedente Nobiliss. ALEXANDRO SEBEÓK SZENT-

MIK-

MIKLOSI Philiatro, olim Diſcipulo meo, Viro Nobili ac Generoſo Domino RVDOLPHO GRAEFFER Bibliopolae Viennenſi, ſumtibus ſuis typis mandandum, commendaſſet. Indicem Libello ſubieci nullum. Nec enim mole ſua Lectorem grauat. Conſpectum Libelli et capitum, ſeu argumentorum, de quibus agit: eidem praefixi. Hinc tamquam ex Summario, Liber noſci poteſt. Si vero Indice quoque dignus iudicabitur: inpoſterum, non erit difficile addere. Jam vale Lector Beneuole, et his meliora Patriae, aut Reipublicae Litterariae offer. id eſt quod TE humaniſſime oro. Scribebam DEBRECINI A. R. S. MDCCLXXIII. a. d. XVII. Januar.

STEPHANVS HATHVANI.

RE-

RECENS MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM.



Quartus iam labitur annus, a quo tempore Libellus hic, eo fine Viennam transmissus fuit: vt illic typis excudatur. Verum tot difficultates non prævisae, se obtulerunt: vt nunc etiam aegre ex tenebris eluctetur. Id si praevidissem, fore vt eius editio, ad hoc vsque tempus differatur: multis in locis, observationibus novis, augeri poterat. Errores quosdam typographicos irrepsisse, doleo. Distantia loci, vbi dego, et id genus alia: facile apud eruditos viros, vitia typothetarum excusabunt.

Quoniam vero, in Examine thermarum VARADIENSIVM, non iam id egi, vt de puritate et salubritate aquarum iudicium ferrem; an hae communi vsui aptae sint? neminem mirari oportet, cur tentamina alia, quae ad puritatem et salubritatem aquarum explorandam adhiberi solent, vti aceti plumbi, vel solutionis mercurii in Aqua forti pura factae &c neglexerim. Id vero pro scopo meo suffecit, si clare docerem, cuius generis sal et terram, in sinu


suo,

ſuo, hae aquae thermarum fovent. Sed vt vel haec pauca huc nunc adſcriberem: vix a me impetrare potui. Domeſtica enim mala, eaque prorſus inexſpectata, dum nondum anno completo, duos filios, alterum XXI. annos natum, procul a patriis laribus, imprudens medicatio petechialis morbi, a chirurgo caſtrenſi facta, intra quinque dies; alterum vero nondum quinquennem, abſceſſus variolis superveniens, qui ſe in abdomine formaverat, poſt decimum ſextum diem Menſe Majo abſtulit: omnibus lacrimis ſunt maiora. Magnus dolor ſtupet et tacet. Quare plura addere, nec mihi licet. Dabam Debrecini, ipſis Kalendis Auguſti, Anno MDCCLXXVII.

CON-

CONSPECTVS LIBRI.

CAP.



CA-



A. Ω.

CAPVT I.

De Thermis in genere, inprimis vero Descriptio Thermarum VARADIENSIVM Physica, S. LADISLAI.

§. I.



Quamquam Regnum Hungariae, multis beneficiis a DEO immortali, liberalissimo naturae parente, prae multis aliis cumulatum esse, vel exteris nationibus optime constet, nostri autem populares, id sibi persuaserint; attamen dubito, num etiam omnes illi inter nos, qui prae aliis plus sibi videre videntur, sua bona recte inteligant. Ita enim a natura facti sumus, vt ela quae singulis fere diebus oculis subiiciuntur, li-

cet vere magna, & admiratione prorſus digna ſint: leviter nos movere ſoleant; raro autem vel nunquam viſa, omnium omnino oculos in ſe conuertant. Familiare ſane vitium eſt, vt dives, in auro ſibi circumfuſo: pauper ſit. *a)* Vt enim illa hac vice mittam, quae de Metallis, aut Salisfodinis, frugibus, vineis, re agraria, pecuaria dici poſſent: id ſolum monebo, ea in Regno Hungariae, tuendae, curandaeque valetudinis, reparandaeque ſalutis reperiri praeſidia: vt de iis, etiam cum quouis Regno vicino, noſtra Hungaria de gloria certare poſſit. Non negabo, frequentibus medicatis fontibus ſuperbire Italiam, Germaniam, Heluetiam, Bohemiam. Vt tamen id, quod res eſt dicam, quis noſtrum de fonte Bohemiae, SEDLICENSI, ac eius Sale medicato, quidquam noſſet: niſi eius virtutes, erudita diligentia, diligensque, ac ad arcana naturae eruenda, ſollicite attenta cura, FRIDERICI HOFMANNI, Medici Hallenſis Anno 1717. detexiſſet, ac poſtea 1721. publici quoque iuris feciſſet. Equidem nullus dubito, quin eadem, qua ille facili-

---

a) Plinius Junior ſeu Caecilius Secundus Epiſt. Lib. VIII Epiſt. 20. Ad quae noſcenda, iter ingredi, transmittere mare ſolemus; ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, ut proximorum incurioſi, longinqua ſectemur; ſeu quod omnium rerum cupido langueſcit, quum facilis occaſio eſt; ſeu quod differimus, tamquam ſaepe viſuri, quod datur videre quoties velis cernere. Quacunque de cauſſa, permulta in vrbe noſtra, iuxtaque vrbem, non oculis modo; ſed ne auribus quidem nouimus: quae ſi tuliſſet Achaia, Aegyptus, Aſia, aliaque quaelibet miraculorum ferax, commendatrixque terra: audita, perlecta, luſtrataque haberemus. cet.

litate tam ſalutarem Salem reperit, noſtros quoque Medicos, in aquis ZOVANYIENSIBVS Comitatus Kraſznenſis, & aliis, reperire poſſe; modo vti illi, ſic noſtris, tam Illuſtres Comites KYNSKII & KLARYI contingerent. *b)*

b) Poſtquam huius libelli ſcriptionem abſolueram; tandem nactus ſum menſe Iunio, huius anni 1772 ex fonte Zovanyienſi, unam lagenam aquae. Hanc adferri iuſſi, per quemdam Philoſophiae ſtudioſum, diſcipulum meum; qui Szeplakini, aliquid rei gerendae habuit: a quo loco *Zowány* plus quam horae itinere diſtat. Inſtruxi proinde ipſum, quomodo ex fonte limpido, & non turbato, aquam haurire, tum confeſtim os vitreae ampullae, cera vel pice, claudere deberet. Conſeruaui hanc in eadem ampulla, vſque ad menſem Decembrem. Tum die 18. Decembris aperui: verum haec aqua, nullum odorem ſparſit; inſuper inſtar Cryſtalli fuerat puriſſima, limpidiſſima, absque vllo ſedimento. Poſtea guſtaui, ac aliis quoque guſtandam exhibui. Saporem habet adſtringentem, inſtar aluminis: atque linguam eius, palatumque, qui guſtauit, contrahit, vti ea, quae ſtiptica Medici nominant: diuque hunc ſenſum in ore relinquit. Aliquid omnino nauſeoſi habere videtur. Multi mihi narrabant, qui illic ad fontes, lauandi cauſſa commorabantur: vidiſſe ſe ruſticos, imo alios quoque, qui ex fonte ipſo, vncias tres aut quatuor, vel etiam amplius, potauerant, paullo poſt per ſuperiora & inferiora vehementiſſime fuiſſe purgatos. Immiſi proinde

§. II.

Non eſt animus, fontes omnos ſalutares, quibus Hungaria abundat recenſere. Id vero nunc monuiſſe ſufficiat: Regnum noſtrum, nec aquis acidulis; nec calidis talibus carere: quas

---

inde lebeti cupreo, ſtanno obducto, aquam Zovanyino mihi adlatam; quae in lagéna vitrea continebatur. Hanc prius ad bilancem expendi; quae libras duas, ac inſuper octo vncias vulgares pendebat. Poſtea, lentae evaporationi, igne ſuppoſito commiſi. At circa finem, nulla cuticula in ſuperficie adparuit. Tum refrigerio in cellam depoſui. Fundo vaſis adhaeſit maſſa ſubalbicans, in duobus vel tribus locis, quaſi ab aëre incluſo, magnitudine lentis, aut piſi minoris, inflata. Haec materia reſidua, tam fortiter fundo vaſis adcreuit, vt cochleari argenteo difficillime ſe abradi pateretur. In ſuſpicionem proinde veni, nonne tam fortis adhaeſio, vel adtractio, a plumbo, vel ſtanno, quo vas obductum fuit, oriretur? Tum dimidium fere huius ſalis, rurſus in aqua pura fontana ſolui; ac in vaſe fictili, evaporationi commiſi. Deinde patinae vitratae (*mázos*) infudi ac refrigerio expoſui. Verum reſidua materia, perinde fundo patinae adhaeſit firmiſſime, quam ante lebetis aenei. Tanta enim vi abradere debui, vt fere ipſa vitratura patinae laederetur. Materia haec reſidua ſub magno volumine pondus exiguum exhibuit. Ad bilancem expenſa, drachmam vnam, & fere quinque grana pendebat. Lingua guſtata ſenſum ſalis

quas celebratiſſimis Italiae, vel Germaniae fontibus opponat. Certe ſi noſtri Phyſici ac Philiatri, VALLERIOS, HEERIOS, HOFFMANNIOS *cet.* imitari velint; non ſine animi voluptate

---

lis, illumque ſic ſatis pungentem & aliquantiſper ſaporis aluminoſi excitauit. Sumſi aliquot grana huius ſalis; tum ſoluebam in aqua pura fontana. Non tamen tota maſſa pulueris ſoluitur, verum in fundo vitri, materia ſubalbicans terrea, & quaſi ochracea relinquitur. Poſtea inſtillaui aliquot guttas olei tartari, vt vocant, per deliquium. Senſim hoc modo, color lacteus inductus eſt ſolutionis ita vt, lac aliquod paullulum opacius & obſcurius videretur. In ſummitate eius, adparuit materia pinguis. Poſt 24. horas autem, circa ſuperficiem ſummam materia inſtar fili, cruſtacea adhaeſit, in circumferentia vitri. Nulla tamen praecipitatio, ne dum efferueſcentia oriebatur. Dum Spiritum ſalis, ſolutioni huius ſalis affudi, nec efferueſcentia, nec praecipitatio facta eſt. Idem euenit cum Spiritu ſalis ammoniaci. Dein tentamen inſtitui cum Spiritu nitri ſaturatiſſimo. Sic lenis aliquis motus circa fundum poculi obſeruabatur. Tandem alteri ſolutioni, maſſae huius ſalinae oleum vitrioli inſtillaui: ſic ſtatim ortus fuit ſibilus, fumus trudebatur ex ſuperficie, motus vero cernebatur in ſolutione: ſed non efferueſcentia. Eiusdem ſalis ſolutio, cum ſyrupo violarum facta, aliquantum colorem virideſcentem offert. Ad quod ſalis genus, igitur, hoc noſtrum referri debeat? Rei chemicae periti, vel ex his paucis intelligunt;

videbunt, in hac palaeſtra, fere ad dimidium huius ſaeculi non opera artifici defuiſſe; ſed potius artifices materiae ac operi. Nam vt nonnullas ex acidulis commemorem; tunc demum

---

alii autem ex iis, quae infra §. XXXIV. & ſeq. dicentur: vberius cognoſcent. Qui tamen ad ea diligentius attendit, quae paullo ante de effectibus aquae huius, in vſus internos deuocatae commemoraui, nullo negotio haec duo perſpiciet. In huius aquae quantitate exigua multum ſalis hoſpitari. Alterum vero eſt: ſalem hunc vere eſſe medicatum ſalem, & quidem catharticum, ſeu purgantem. Sed in quo quantitas ſalis alcalini maiori quantitate adeſt, quam ſal medium.

Id tandem adiiciam, pagum ZOVANY, itinere fere duarum horarum a BALYOK & SZEPLAK, verſus orientem diſtare. Illius incolae ſunt Hungari. Extra vicum, itinere dimidiae horae, verſus pedem montis, in plano inclinato duo fontes reperiuntur. Nullum ibi dumetum, aut arbores ſunt: ſed ad diſtantiam fere dimidiae horae tractus ſyluarum incipit. Horum vterque, abſque tecto, ſub dio iacet. Aqua illius, qui ad dextrum ſitus eſt, adeo clara ac diaphana eſt: vt fundus quoque videri, & quomodo globuli aquae, illinc identidem ſurſum propellantur, conſpici poſſit. Color aquae eſt virideſcens. Alter huic ſimilis fons, ad diſtantiam centum hexapedarum ſitus eſt: ſed qui prorſus neglectus, aquam magis turbidam habet. Nec tamen diuiti vena ex ſe, riuos emittunt, quos ad diſtantiam ſexaginta paſſuum, in ſo-

mum de iis, verum ferri poterit iudicium; cum illae, prius accurato examini chemico & physico subiectae, a peritis Medicis, in vsus internos & externos deuocabuntur. Harum enim alias, prae aliis medicatis virtutibus praestare, nemo sanus negauerit. Verum vnde vires illae pendeant? Qui sales & qua copia in his vel illis delitescant? Quibus illae salutares, aut noxiae futurae sint? Soli scientia Medica instructi iudicabunt. Veniet prope diem tempus, cum Acidulae KALNOVIENSES prope ad Losfontz, FYLEKIENSES, VARGEDEIENSES, EPERIESSIENSES, HERLEIMENSES vel PEKLINENSES, FYREDIENSES ad Balaton, perinde nostris Hungaris cognitae erunt; quam Germanis & aliis

 suae

---

foueam grandem excauatam deriuant; vnde postea in ahenum metallicum, aquam haustro fundunt; igne subiecto calefaciendam. In hos morbidi se immittunt: vti arthritici, podagrici &c. ac se ibi abluendo solatium morbo suo quaerunt. Vt vero hoc commodius fieri possit; quaedam vilis domus quoque pro cadis constructa habetur: vbi aegri se abluere solent. Alii vero, qui sunt magis audaces; etiam in internos vsus, aquas fontis illius limpidi adhibent; ac tres, vel ad summum quatuor vncias aquae, ex fonte ipso bibunt. Hi paullo post, ab aqua adsumta purgari incipiunt. Nullum animal ex his fontibus, aut riuis bibit; etsi illic in pascuo haereant. Latus est fons, tres cum dimidio pedes: profundus vero duos cum dimidio. At nunc de hoc fonte, hucusque forte, pago solum vicinis cognito, haec pauca adnotasse sufficiat.

ſuae Pyrmontanae, Egranae, Selteranae; aut Italis vel olim, aut nunc, Thermae Baianae, Puteolanae, Ciceronianae, Piſanae, Patavinae, Aquae Sextiae. *a*) Atque Ciceronianas oculis mederi, iam PLINIVS *b*) adnotauerat. Neque quiſquam exiſtimet, forte haec temere a me affirmari. In praxi enim Medica, laetus id didici, acidulas HERLEIMENSES vel PEKLINENSES in Comitatu Saroſſienſi: non multum virtutibus medicatis a SELTERANIS vinci. *c*) Ante

a) *Liuius Libr. LXI. C. Sextius Proconſul victa Sabinorum gente, coloniam, Aquas Sextias condidit: ab aquarum copia & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine ita ſuo appellatas.*

b) Plinius Hiſtor. Natur. Libr. XXXI. cap. 3. editione Huetii p. 547.

c) Fontium acidorum in Hungaria catalogum nobis dedit R. P. LADISLAVS TVROTZI S. I. *in Hungaria, cum ſuis Regibus compendio data Tyrnav* 1768. in 4to pag. 305. & ſeq. Nro. 193. Id ſolum adnotabo, in Comitatu NEOGRADIENSI, primas deberi acidulis KALNOVIENSIBVS; quae milliari fere vno, ab oppido *Loſſonz* verſus Septentrionem diſtant. Harum tamen nulla fit mentio a Cl. TVROTZIO. Dolendum vero eſt, quod Domini illi, qui pagum illum poſſident, praeſtantiſſimum hunc naturae theſaurum prorſus negligant. Fons enim, ſub dio in campo iacet ac patet: ſaepe ſolum ex virgultis circumdatus. Id forte idcirco fit, quod praeterea alibi in locis vicinis acidulae non deſint; vti in villa Kereſztur dicta, verſus OSGYAN: item FILEKINI. Vt Oſgyanienſes, Suſanienſes, Zalu-

Ante hos enim tres annos, cuidam Illuſtri Comitiſſae iuueni, ſed prorſus emaciatae, hecticae & aſthmate laboranti; item alteri Nobili Adoleſcenti decem & octo & amplius annos nato, quem febris & tuſſis hectica, iam per biennium vexauerat; & in quo phtiſeos certiſſima indicia conſpiciebantur, auctor fueram, vt menſe Iunio, fontem illum accedendo: methodo praeſcripta potis, aquis eius vterentur. Vterque illinc, illa quidem poſt viginti octo dierum, hic vero poſt menſis vnius vſum ſani a fonte illo redierunt, ac hodie quoque bene valent, vigentque. Quod autem calidas aquas ſeu thermas adtinet, noſtras ſane VARADIENSES, nihil de laudibus & viribus medicatis; celebratiſſimis in Italia Baianis, Puteolanis, Piſanis *cet.* vel in Bohemia CAROLINIS, aut aliis concedere, haec praeſens quam ſuſcepi *Commentatio*, euidentiſſime demonſtrabit.

 §. III.

---

luſanienſes, taceam. Vel vero quod de viribus Medicatis fontis illius non ſatis perſuaſi ſunt; vel quod etiam Medici, ad curationes morborum internas illas prorſus non adhibeant. Non ſecus aquas calidas, ſeu thermas idem V. Cl TVROTZI enumerat pag. 308. & ſeq. vti poſt Budenſes, Strigonienſes, Tatenſes, Agrienſes, Miskoltzienſes, item Comitatuum Lipto, Trentſen, Turotz, Nitriae ad POESTYEN, item Bars; tandem meminit VARADIENSIVM quoque: quas Vngaricarum fortaſſe omnium, amoeniſſimas putat.

§. III.

Id vero ſingularem meretur laudem, quod ab antiquiſſimis temporibus, Scriptores Hiſtoriarum & Geographiae; imo etiam alii bene multi ad ſeram poſteritatem transmittere nulli intermiſerunt, quibus in locis, mirabiles ac ſalutares aliqui fontes reperiantur? Quae inprimis inter aquas, vel propter quas vires medicas, celebrentur? aut etiam contra, quae vitioſae, nociuae, venenatae, letales denique ſint; ſi ab pecoribus, vel hominibus potentur? magna & diligenti cura, non tantum in genere indicarunt, ac alios docuerunt: ſed etiam de NOMINIBVS & LOCIS; vbi iſta habeantur, deſignarunt. Prima huius rei laus debetur, omnis Hiſtoriae parenti, HERODOTO. Adcuratiſſimam is Thermarum, quae ad Thermopylas habentur, deſcriptionem dedit: ita vt omnes illos, qui deinceps ipſum exſcripſere, vti STRABONEM, LIVIVM, PAVSANIAM, APPIANVM ALEXANDRINVM, longo poſt ſe interuallo reliquerit. *Ingreſſus vero* inquit *a) in Graeciam per Trachinem: vbi arctiſſimus, dimidiati iugeri eſt. Quamquam ad caeteram regionem non eſt hic locus arctiſſimus: ſed ante, poſtque Thermopylas, iuxtaque Alpenos, a tergo*

---

a) Herodotus in Polymnia ſeu Libr. VII. num. 176 editionis VESSELINGII. Anno 1763. in fol. Amſtel. Ἔςι δὲ εν τῇ ἐσόδῳ ταύτη Θερμὰ λȣτρὰ, τὰ χύτρȣς καλέȣσι ὁι ἐπιχώριοι, καὶ βῶμος ἵδρυται Ἡρακλέος ἐπ᾽ ἄυτοισι.

go sitos; tantummodo ad agendum vehiculum via patet. Anterius etiam, iuxta flumen Phoenicen, prope vrbem Athletam; solum agendo vehiculo, rursus via sufficit. Thermopylarum vero, quod ad occasum vergit, mons est inaccessus, & praealti praecipitii procedens usque ad Oetam. Quod autem viae vergit ad auroram, mare excipit ac vada. In hoc autem ingressu, sunt CALIDA LAVACRA: quae χύτρες, *id est OLLAS indigenae vocant. Et prope illa, est ARA HERCVLI EXSTRVCTA.* Neque tamen conatus & labores, vel Strabonis, aut aliorum idcirco negligendi sunt. Id enim singularem meretur adtentionem, quod de Thermopyla-
„ rum aquis calidis, STRABO memorat: *b*)
„ Demetrium Calatinum, qui terrae motus,
„ qui ab antiquissimis temporibus, per Grae-
„ ciam totam accidebant, descripserat; eius
„ rei etiam mentionem facere; Thermas illas,
„ quae sunt Aedepsi, atque in Thermopylis,
„ per triduum retentas, propter terrae motum
rursum fluxisse, ita quidem vt Aedepsanae, etiam aliis in locis, (quam ante) eruperint fontibus. Ab aquis autem calidis, ita dictas Thermopylas memorat, non solum STRABO *c*) sed & LIVIVS *d*) *Quia* inquit, *calidae aquae, in*

---

b) Libr. I. pag. 60. κάι καθ' ἑτέρας ἀναρραγῆναι πηγάς.

c) Strabo Libr. IX. p. 420. Lit. C. ex editione Isaci Casauboni. An. 1620. Lugd. in fol.

d) Livius Libr. XXXVI. num. 15. p. m. 355. 356. ex editione I. F. Gronovii. Amstelod. An. 1679. in 8vo.

In ipſis faucibus ſunt, Thermopilae locus adpellatur. Non ſecus APPIANVS ALEXANDRINVS; nomen Thermopylarum illinc deriuat. *e*)

§. IV.

Longius vero Strabone profectus fuerat PAVSANIAS. Is enim in deſcriptione aquarum: colores etiam illarum diverſos, & vires medicas; aliasque virtutes ſingulares, indicavit. Initium vero narrationis facit, a Thermopylis. „Omnium quidem inquit quas adſpexerim aquarum, maxime CAERVLEA eſt in „Thermopylis. Neque tamen tota: ſed ea „praecipue, quae in ablutorium, vbi lavare „& natare ſolent, influit; quas incolae, Muliebres OLLAS vocant. RVTILA vero, „& fere ſanguinei coloris aqua habetur, in „terra Hebraeorum, ad vrbem IOPPE Aqua „autem iſta, non longe eſt a mari. Vidi etiam in Aſtyra NIGRAM aquam: ſunt Aſtyra calidarum aquarum balnea. Habent etiam „Romani, non longe ab vrbe, trans Anienem, „ALBAM aquam. In eam qui deſcenderint: ini-

e) Sunt autem Thermopylae, anguſtus & oblongus tranſitus ἔχει δὲ ὁ τόπος θερμῶν ὑδάτων πηγάς, καὶ θερμώπυλαι ἄπο τοῦ δ'ἐπικλήζονται. *Habet autem iſte locus, aquarum calidarum fontes: vnde Thermopylae ex eo* (a Graecis) *denominantur.* De bellis Syriac. p. 157. 158. ex editione TOLLII, Amſtel. A. 1670. in 8vo.

„ initio tam frigidam ſentiunt, vt abhorreſcant.
„ At ſi paullulum fuerint immorati; pauliſper
„ calefaciunt, vti aqua quam maxime fervens.
„ Et has quidem aquas, VISV ADMIRAN-
„ DAS AC BIBENTI ſalubres vidi, novique
„ (*ſic enim ex emendatione KVHNII lego*) Nam
„ vulgata aquarum miracula praetereo. Ne-
„ que enim aut ſalſam, aut acerbam aquam e
„ fontibus manare: magni miraculi loco di-
„ cendum. — Iam vero ab Herodoto litteris
„ proditum memini: amarae aquae rivum, in
„ Hypanem amnem influere. Quod certe non
„ video, cur a veritate abhorrere putemus.
„ Quum aetate noſtra, ad PVTEOLOS (quod
„ eſt Tyrrheni Maris oppidum, & a Graecis
„ Dicaearchia vocatur) aqua exſtiterit, tam
„ ACVTO CALORE efferueſcens: vt intra
„ paucos annos PLVMBEOS TVBVLOS per
„ quos fluit, COLLIQVAVERIT. *a*) Quod
PAVSANIAS de aquis ad Thermopylas memo-
rat

---

a) PAVSANIAS in Meſſenicis, ſeu Libro IV. cap. 38. ex editione IOACHIMI Lipſienſi Anni 1696. in fol. *Γλαυκότατον μὲν οἶδα ὕδωρ θεασάμενος, τὸ ἐν θερμοπύλαις, οὔτι πᾶν, ἀλλ᾽ ὅσον κάτεισιν ἐς τὴν* KOLYMBHTPAN, *ἥντινα ὀνομάζουσιν οἱ ἐπιχώριοι χύτρους γυναικείους.*

Ollae iſtae muliebres videntur fuiſſe ablutoria loca, ſeu cadi: in quibus inprimis aegri, recuperandae valetudinis cauſſa ſeſe abluebant. Vel ſi mavis, erant cellulae & loca ſeparata; vbi imprimis mulieres ſeſe abluebant & lavabant. Herodes At-

rat; illas esse CAERVLEAS; id etiam de Thermis Felicis certum est. Si quis enim, iuxta deambulans, oculos in aquas, in caueam col-

---

Atticus fuerat Praeceptor PAVSANIAE: homo valde pecuniosus; qui in aedificiis novis construendis, magnopere delectabatur. Hunc putat Cl. VALKENAAR, nunc Professor linguae Graecae in Academia Lugduno Batava, in gratiam Thessalorum & Meliensium, cellas vel caueas, aegrotantibus suscipiendis aptas, hic construi curasse, PHILOSTRATVS in vita Herodis Attici pag. 551. τὰσ ἐν θερμοπύλαις κολυμβήτρασ memorat; τοῖς νοσȣσι, παιονικȣσ *aegrotis medicatrices.* Id enim Lector Benevole, obserues velim, παιωνία χεὶρ significat, *manus medicatrix.* Vti apud Caelium Libro XIV. cap. 59. Hinc παιώνιοσ, *medicabitis.* Memorantur ab Athaeneo, Ροδιακὰι χυτρίδησ *ollae Rhodiacae*, quae fuerant caveae: κεράμεα ἐκπόματα Pocula testacea vel fictilia ex argilla. Ex iis facilius homines inebriari, Aristotelem scripsisse narrat, Libro XI. p. m. 229. Notum est in S. Evangelio Ioannis v. 2. 4. 7. τὴν κολυμβήτραν ΒΗθΕΣΔΑ *Piscinam*, vel natatorium *Bethesda commemorari.* Hoc balneum, omnis generis aegros, maximo numero frequentasse, S. Euangelista Ioannes testatur. Huius aquas, vi naturali sua, seu virtute medica propria, aegris profuisse, profano ausu contendit, THOMAS BARTHOLINVS, Medicus; in Paralyticis N. Testamenti. Fasciculorum Cranii Tom. V. pag 387. 388. HAMMONDVS quoque, in suis Adnotationibus in Ioannis l. c. vim illam medicam aquarum: san-

collectas coniiciat, harum superficiem satis caeruleam obseruare poterit. Aquae vero, quae supra BVDAM sunt, sic quaedam calent, vel fer-

---

sanguini copioso animalium mactatorum, quae in Festo Tabernaculorum effundebantur, atque illic vti falso opinatur abluebantur, impie adscribit. Sic scilicet hi egregii duum viri, fidem miraculorum CHRISTI DOMINI, elidere conati sunt! Mirari oporteret, cur IOANNES CLERICVS, qui Hammondum fere vbique, notis eruditis supplet, tamen nihil contra absurdam illam interpretationem dicat. Nisi satis constaret, CLERICVM frequentissime Socinianizare. Iste enim egregius Theologus, haec Hammondi profana verba: *Haec omnia, cum naturalia sint, & sine vllius interuentu miraculi fieri potuerint, parum verisimile videtur* Ἄγγελον, *de quo versu 4. agitur: fuisse Angelum Dei*: non solum facile Clericus concoxit; sed etiam absque censura dimisit. Immo in adnotationibus suis, in ℣. 4. satis aperte mentem suam prodidit, cum haec subiicit: *Quamuis*, inquit, *suspicari etiam quis possit; data opera omissum hunc versum, a Criticis nonnullis propter* τὸ παράδοξον (incredibile) *fuisse.* Sic scilicet & Clerico paradoxa haec Historia videbatur. Videsis Nouum Testamentum Hammondi & Clerici pag. 417. 418. 419. ex editione Francofurtana An. 1714. in Fol. Recte tamen vti Bartholinum, sic Hammondum confutarunt, praestantissimi Theologi WITSIVS Miscell. Sacror. Tom. II. Exercitatione XI. §. 54-61. LAMPE in Comment. in Ioannem cap. 4. ℣. 4. & seqq. κολυμβήθραν vero, quae

feruent potius; vti id olim VERNHERVS adnotauit: vt in eas missum ouum, non minus cito, quam ad luculentum ignem elixetur. Ne-

---

quae teste S. Ioanne, Hebraice Bethesda nominabatur, vti & Syrus exponit בית חסדא id est *domus gratiae*; satis adparet, non significare vocem illam Graecam proprie, *Piscinam* aliquam, piscibus alendis & gignendis idoneam; sed receptaculum aquarum, cellulam, lauacrum, natatorium; vti ex Pausania & Philostrato vidimus. Ceterum non ignoro ATHAENEVM memorare, ex Diodori Siculi Bibliotheca Agrigentinos κατασκευάσαι Γέλωνι κολυμβήθραν πολυτελῆ *praeparasse, seu aedificasse LACVM, vel receptaculum aquarum, magni pretii*; cuius circumferentia erat septem stadiorum; „ profunditas autem viginti cubitorum. In quod „ introductae fluuiorum & fontium aquae; eo fine, „ vt ἰχθυοθρεφεῖον *Piscinarium esset*: vbi pisces „ alerentur, & multos praeberet pisces, tum pro „ victu necessario, tum pro voluptate. Athen. Libr. XII. p. m. 268. linea 12. & seq. ex edit. BEDROTI Basileae apud Ioannem Valderum 1535. in Fol. Neque enim, vlla alia editio, praeter hanc pure graecam, mihi ad manus est; nec Amicorum Bibliotheca habet. Habet hanc Historiam de Gelone apud Diodorum Siculum Biblioth. Hist. Libr. XI. pag. 423. ex editione WESSELINGII Tom. I.

Lectio vulgaris in PAVSANIA l. c. Libr. IV. p. 370. sic se habet. Ρομαίοις δὲ ὑπερ τὴν πάλιν διαβάντων τὸν Ἄνιον ὀνομαζόμενον ποταμὸν ὕδωρ λεύκων ἐστιν

Neque tamen prorſus omnia, de aquis Albulae, STRABO ignorabat. Planitiem, inquit, Romae per quam delabi Anienem diximus, Albulae etiam quae vocantur aquae perfluunt; e multis fontibus prolapſae. Atque aduerſus MVLTOS MORBOS ET BIBVNT, & iis qui pro balneo iis inſident: *remedium praebent. b)* Tales ſunt non procul inde Labanae aquae, in agro

---

ἐςιν ἀνδρὶ δὲ ἐσβάντι ἐς αὐτὸ, τὸ μὲν παραυτίκα ψυχρὸν τε πρόσεισι, καὶ ἐμποιεῖ Φρίκην; ἐπισπῶντί δὲ ὀλίγον, ἅ τε μακον θερμαίνει τὸ πορωδέςατον, καὶ ὅσαιμὲν, πηγαὶ, θαῦμά ἰδεῖν καὶ ἰδόντι, τοσαυτας θεασάμενος οἶδα. *Romani autem aquam ALBAM habent, ſi quis ciuitatem eorum pertranſeat, quae ſupra eam ſita eſt, & fluuius ille Anion adpellatur. Si quis vero hominum in eam deſcendet, tunc confeſtim ſenſum frigoris atque horrorem excitat. At ſi paullulum immoretur, nihilominus incaleſcit, quam ſi vehementer calidum medicamentum ebibiſſet.* Quoniam vocabulum μακον nihil ſignificat, hinc liquet, hunc locum eſſe corruptum. Quare ambo Interpretes, CAMERARIVS & XYLANDER, legunt Φάρμακον medicamentum.

b) GEORGIVS VERNHERVS, Regius Conſiliarius & apud arcem SAROS Praefectus, de Admirandis Hungariae aquis, (inter Scriptores Rerum Hungaricarum veteres ac genuinos) ex collectione Bongarſiana, apud Wechelios. Francof. An. 1600. pag. 505. Non procul a TORDA in Tranſylva-
„ nia, uti refert R. FRIDVALDSZKII eſt mons LAI-
„ TORIAS-TOROK, qui in ſinu ſuo, puteum ha-

 bet

agro Nomentano & Eretum. c) His addit PLINIVS: Iuxta Romam, ait, ALBVLAE *aquae vulneribus medentur.* Egelidae hae, ſed Cutiliae in Sabinis gelidiſſimae. Suctu quodam, corpora inuadunt, vt prope morſus, videri poſſint. Aptiſſimae ſtomacho, nervis; vniuerſo corpori. d) Talem etiam Theſſaliae fontem ARISTOTELES memorat: qui vulneribus medetur. e) In Scotulis, inquit, Theſſaliae fontem ajunt: vnde aqua defluens, vulnera, contuſiones ſeu fra-

---

„ bet, vſque ad extimam ſuperficiem repletum „ aquis. Hac in ſuperficie, frigidae ſunt: ſed „ profunditate trium & dimidii pedum, feruent „ adeo, vt ovum in his a ſe coctum, D. Nagy „ Szigeti Horopegus Claudiacus aſſeueret. R. D. Ioannes FRIDVALDSZKY S. I. in Mineralogia Magni Principatus Tranſyluaniae Part. VI. §. IV. pag. 199. Claudiopoli 1767. in 4to.

c) STRABO Libr. V. p. m. 238. ad litteram C. ex edit. Pariſienſi Iſaaci Caſauboni Anni 1620. in Fol.

d) PLINIVS Hiſtoriae Natur. Libr. XXXI. c. 2. ſect. 6. ex editione Ioannis Harduini S. I. Pariſiis A. 1741. in Folio, id eſt Baſileae, apud Brandmüllerum.

e) Monere debeo, Interpretem Latinum haec verba: τὰ ἕλκη καὶ θλάσματα ſic vertiſſe *vulnera*, CONVULSIONES*que*. Hoc vero erroneum eſt. Vtor vero editione Iſaaci CASAVBONI Anni 1590. Lugd. in Folio. De mirab. audition. p. m. 700. θλάσμα enim fracturam, contuſionem ſignificat.

fracturas, tum hominum, tum iumentorum cito ſanat.

§. V.

Neque vero, id ſibi ſolum negotii datum fuiſſe exiſtimarunt antiqui rerum geſtarum, vel memorabilium ſcriptores, vt vnius vel alterius prouinciae mirabiles aquas commemorarent; verum vti locus, & occaſio ſecum ferebat, fecere id quam diligentiſſime. Laudabat iam olim HERODOTVS fontem Solis: qui apud Ammonios habebatur. Apud hos eſt, ait, alia quoque aqua fontana, quae ſub matutinum quidem tepet; ſub horam autem fori frigeſcit; ſub meridiem valde frigida eſt — media nocte feruens exaeſtuat. Cognominatur autem iſte fons ſolis. *a*) Ceteri omnes, qui de hoc mirabili fonte ſolis ſcripſerunt, HERODOTI veſtigia, in narratione ſequuti fuiſſe videntur: vti DIODORVS SICVLVS. *b*) ARRIANVS. A. A. *c*) CVRTIVS. *d*) POMPONIVS MELA. *e*) SOLINVS. *f*) LVCANVS.

 quin

a) Herodotus Libr. IV. pag. 361.

b) Diodorus Siculus Libr. XVII. pag. 199. Tom. II. ex editione P. WESSELINGII. Amſtelod. An. 1746. in Fol.

c) Arrianus A. A. Libr. 3. c. 4.

d) Curtius Libr. c. 7.

e) Pomponius Mela L. 1. c. 8.

f) Solinus cap. 34.

g) quin etiam elegantissimus, & inter veteres praestantissimus Physicus, LVCRETIVS CARVS. h) Verum apud Aegyptios fontem fuisse scribit HERODOTVS, purum adeo & leuem, in cuius aquis, ne ligna quidem demergerentur. Huius aquae potum fuisse adeo salutarem, vt qui ea vterentur, etiam vltra centum viginti annos vitam producerent. i) STRABO, praeter Thermopylarum thermas, celebrat illas quae fuere in Graecia Aedepsi; in Italia Caeretanus; imprimis propter eos qui valetudinis curandae caussa, eo commeabant, k) Nec non in Hetruria, bene multas alias, & proximas sinui Sextino; vbi calida lauatio est pulcherrima: quae ad morbos pellendos valde idonea. l) Laudauit has & LIVIVS m); in Armenia minori vero Phazamonitim, ad fluuium Halyn celebrat: quorum aquas calidas, supra Amasenum

---

g) Lucanus Libr. IX. ỷ. 511. & seqq.

h) Lucretius Libr. VI. ỷ. 48.

„ Esse apud Ammonios fanum, fons luce diurna
„ Frigidus, at calidus, nocturno tempore fertur:
„ Hunc homines fontem, nimis admirantur & acri
„ Sole putant subter, terras feruiscere raptim,
„ Nox, vbi terribili terras caligine texit.
„ Quod nimis a vera est longe ratione remotum.

i) Herodotus Libr. 3. Numero 23. pag. 205.

k) Strabo Libr. I. pag. 60. & Libr. V. pag. 220. 227.

l) Idem Lib. V. pag. 234.

m) Epitom. Liuii L. 61.

num agrum valde salutares scribit *n*): FLAVIVS IOSEPHVS quoque Historicus, trans Iordanem sitas, calidas aquas Callirhoenses memorat: quae praeter caeteras dotes etiam potui aptissimae sunt. His, Herodes Magnus, cum Diuina nemesis, crudelem hunc Tyrannum persequeretur; ex consilio medicorum vsus fuit: sed conatu prorsus irrito. *o*) Id vero singularem adtentionem meretur, XENOPHONTEM memoriae prodidisse, in templo Aesculapii in Graecia fuisse aquam calidam: in qua aegri valetudinis recuperandae gratia, se lauare consueuerunt. *p*) Huius fontis meminere postea

---

n) Strabo Lib. XII. pag. 560. Partem Phazemonitidis, quae est versus Phanaraeam: palus marina tenet. Illa vero, quae Stiphane vocatur, piscosa est, *καὶ κύκλω* ΝΟΜΑΣ *ἔχουσα παντόδαπας & in circuitu omnis generis pascua habet. Supra Amasenum agrum sunt θερμὰ ὕδατα τῶν Φαζημωνιτῶν ὑγιεινὰ σφόδρα calidae aquae Phazemonitarum valde salubres.*

o) Flavius Iosephus, Antiquitatum Iudaicarum Libro XVII. cap. VI. Num. 5. p. m. 845. & de Bello Iudaico Lib. I. cap. XXX. Num. 5. p. m. 140. ex editione Havercampii Amstelod. Anni 1726. in Fol.

p) Xenophon de factis & dictis Socratis, Lib. III. p. m. 495. ex edit. Basil. Anni 1555. graec. & latin. in Fol. apud Nicol. Brylingerum.

PAVSANIAS in Atticis *q*) & PLINIVS in Historia sua naturali. *r*)

§. VI.

Non solum vero salutares & medicatos, verum etiam noxios, ac venenatos fontes, si quo loco reperirentur, eadem diligentia, veteres Historici commemorare studebant. Idem HERODOTVS, quem antea laudauimus, ad vrbem Nicocrin, in Arcadia, notat, aquam STYGIS. Ex petra, inquit, exigua aqua quae adparet, stillat in vallem, in gyrum materia praeseptam. *a*) De hac Stygis aqua, & mirabili eius virtute, talia APOLLODORVS scribit, quae fidem omnem humanam superant. Illas nempe, omnia vasa, praeterquam quae ex cornu fiunt, diffringere. Philo-Heracleota vero, illam aquam, solum in cornibus asinorum retineri posse, narrat. Tales vero asinos, cornibus instructos, nusquam nisi in Scythia reperiri; vti haec habentur apud STOBAEVM. *b*) Similia his scribit AELIANVS; aquam Stygis

---

q) Pausanias Libr. I. cap. XXI. pag. 49. ex editione KVHNII.

r) Plinius Histor. Natural. L. II. Sect. 103. pag 119.

a) Herodotus Libr. IV. num. 74. p. m. 472.

b) Stobaeus in Ecclogis. p. m. 129. 130. ex editione Canteri, & Sambuci, Aureliae Allobrog. Anno 1609. in Fol.

gis, ſolum in cornubus aſini poſſe contineri; cetera autem vaſa, cuiusque demum ſint generis, etiam ſi ea ex ferro ſint, disjicere. Tale autem cornu Alexandro Magno, a Sopatro datum fuiſſe; qui id Delphos miſit, atque Apollini, anathematis loco dedicauit. c) Stygis aquam, neque argenteum, neque aeneum, neque ferreum vas poſſe ſuſtinere; ſed illud diſſilire ac diſſipari, VITRVVIVS quoque prodit. d) His omnibus longiſſime prouectus eſt Pauſanias. *Vaſa*, inquit, *& pocula omnia, ſiue vitrea, ſeu cryſtallina, ſeu ex lapide, aut teſta ſint fictili, aquae Stygis vi franguntur. Quin etiam cornea & oſſea vaſa; ferrum item, aes, plumbum, ſtannum, argentum, electrum, ea aqua infuſa colliquantur. Immo ipſum quoque aurum. — — — Stygis aqua vngulam equi ſuperare non poteſt. Hac enim ſola ita continetur, vt vaſculum non findat. Fueritne hoc veneni genere exſtinctus Alexander Philippi filius? pro comperto non habeo; memoriae certe proditum ſcio.* e)

Ego vero neſcio, qui poſſit Pauſanias conciliari, cum Apollodoro, Photio Heracleota, & Aeliano. Hi enim, in ſcypho ſolum, ex Aſini cornibus facto, contineri poſſe aquam Stygis, tradiderunt. Contra Pauſanias, in vngula equi. Sed tam bene convenire ſolet, inter fabularum ſcriptores, vt alter aquam illam in petra aliquomodo ſolum adparere, &

 ſtil-

c) Aelianus, Hiſtor. Animal. Libr. 10. c. 40.
d) Vitruvius Libr. VIII. c. 3.
e) Pauſan, Libr. 8. c. 18.

ſtillare ſcribat, vti Herodotus: *f*) alter vero jam fontem adpellet; donec tertius, & qui ſequuntur, flumen illud vocet! Id vero prorſus ridiculum eſt, quod de ALEXANDRO M. PAVSANIAS narrat: illum forte hac aqua Stygia, ex Arcadia Babillonem delata, tamquam veneno praeſtantiſſimo, fuiſſe e medio ſublatum. Quaſi vero inſuper venenum iſti porrigi debeat, qui ita ſe vino ingurgitauit, vti Alexander. Cum enim vltimo liberaliſſime coenaſſet, in quo viginti conuiuas habuit; tum poſt larges epulas ſumtas, in ſingulorum ſalutem, cyathum exhauſit. Dum vero quisque convivarum, poculo exhauſto, ſalutem ipſi reddidiſſet, ille rurſus nouo poculo euacuato, vnicuique eorum ſalutem reddidit. *g*) Tandem *Herculeanum ſumebat ſcyphum*, qui fere ſex medias vini capiebat: atque Proteam Macedonium, denuo provocando ad bibendum, etiam illum exhauſit. Sic ſtatim in febrem acutam incidit, & inter convivas in terram corruit; ac poſtea breui

---

f) Herodotus l. c. haec habet. Cleomenes ſollicitaverat Arcades, vt per aquam Stygis jurarent, quae erat ad vrbem Nitocrin. In hac autem vrbe, dicitur ab Arcadibus eſſe aqua Stygis: ϗ δὴ ϗ ἐςι τοιόνδε τι ὕδωρ ὀλίγων Φαινόμενον ἐκ πέτρης ςάζει ἐς ἄγκος κ. τ. λ. *Iſta autem talis fere eſt. ex petra ſtillat in vallem, aqua exigua, adparens, ſeu ſplendens, cet.*

g) Athenaeus Libr. X. c. 11. & Libr. XII. c. 18.

breui periit. *h*) Non ſecus ARISTOTELES, apud Cyclopas Thraces, ait, fonticulus eſt, aquam habens, quae viſu pura & pellucida eſt, aliisque ſimilis. Sed cum ex eo aliquod animal bibit, confeſtim enecat. *i*) Fontem Averni, auibus ſupra illum volantibus letalem eſſe, iam olim LVCRETIVS memoriae prodidit. *k*) Non abſimilem eſſe ad arcem SAROS, in Comitatu Sároſſienſi, Cl. RAYMANNVS Medicus *l*) nec non ad Piriske vicum Tranſyluaniae, in Bor-ſzék, lacum avibus inimiciſſi-

---

h) Diodorus Siculus Libr. XVII. Tom. II. pag. 252. 253. ex editione P. WESSELINGII. Amſtel. 1746. in Fol. Plutarchus in Alexandro. Seneca Epiſt. 83. Macrobius Saturn. Libr. V. 21. Athaeneus Libr. XI. c. 17.

i) Ariſtoteles de mirabilibus audit. p. m. 710. ex editione Caſauboni.

k) Lucretius Libr. VI. pag. m. 825. ℣. 8118. ex editione Lambini.

Sic & Averna loca, alitibus ſubmittere debent
Mortiferam vim, de terra quae ſurgit in auras
Vt ſpatium coeli, quadam de parte venenet.
Quo ſimulac primum pennis delata ſit ales,
Impediatur ibi coeco correpta veneno;
Vt cadat e regione loci, qua dirigit aeſtus.
Reliquias vitae, membris ex omnibus aufert
— — — — quom iam cecidere veneni
In fonteis ipſos; ibi ſit quoque vita vomenda.

l) In Ephemeridibus Naturae Curioſ. Viennenſibus nouis,

mum Cl. FRIDVALDSZKY nuper adnotavit. *m*) Nec desunt fontes, qui si ab hominibus incautius bibantur, tum eos lymphatos agunt; vti id PLINIVS, & alii commemorant. *n*) Ipsa vero fontium miracula, sive fontes admirandos, toto orbe dispersos, & celebratos, multis narrat, eorumque satis prolixum catalogum, idem Libro secundo Historiae suae naturalis, nobis exhibuit. Id vnum dolendum est, in homine diligentissimo; quod DEVM, Auctorem

m) Friduáldszky S. I. in Mineralogia Transyluaniae Part. VII. §. 6. pag. 200. *Supra Passum* „ *Piriske in Bor-szék, lacus est auibus inimicissimus.* „ *Nulla hunc peruolat. Omnis trajicere parans; in-* „ *felix praeda mergitur.*

n) Plin. Hist. Natur Libr. XXXI. cap. 2. §. 5. Item in Syriae fonte, iuxta Taurum montem — — sed ibi in potando necessarius modus: ne lymphatos agat, quod in Aegypto accidere his, qui e fonte rubro biberint, Ctesias scribit. De fonte eodem vide & Senecam in quaest. Nat. c. 2. Ouid. Metamorphos. Libr. XV. a ℣. 307. usque ad 328. vbi posteaquam de fonte Solis, apud Ammonios, & aliis locutus fuit: ita inter alia vim naturae in aquis miratur:

Quodque magis mirum, sunt qui non corpora tantum
Verum animos etiam, valeant mutare liquores.
Cui non audita est, obscoenae Salmacis vndae?
Aethiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit;
Aut furit, aut mirum patitur gravitate soporem.

ctorem tanti muneris vel ignoraverit, vel ignorare voluerit. Scilicet tantum praeiudicia auctoritatis possunt, ut cum ZENONE hoc tandem ex iis admirandis DEI operibus, quae ipse enumerat, consectarium eliceret: solum vt inter ista certum sit, NIHIL ESSE CERTI! o)

§. VII.

Quaenam vero tantae diversitatis aquarum caussa sit? miro modo haec quaestio, omnis aevi Philosophorum ingenia torsit. Commentarios, & ampla volumina id requireret: si sententias omnium, enumerare vellem. Missis ergo ceteris, solum *de caussis calidarum aquarum tribus verbis aliquid monebo.* Compilabo scrinia nullius. Inter alios HOFMANNVS, Disquisitionem edidit, Physico-Medicam: *de Thermis Carolinis, & earum caloris caussa.* a) Ratiocinium eius omne, huc tandem redit; ignem in cryptis subterraneis haerentem, calorem illum, aquis praeterlabentibus conciliare. Ignem vero illum, foveri copioso sulphure, tamquam pabulo. Quare cum corpora sulphurea vehementissimo motu

---

o) Plinius Hist. Natur. Libr. II. Sect. VII. p. 73.

a) HOFFMANNVS, in opusculis Physico-Medicis, Tomo secundo. De Thermis Carolinis, ac earum caloris caussa, & inprimis ibidem c. 1. de caussa caloris in thermis. Vlmae A. 1736. in 8vo.

motu inter ſe agitantur ; tunc ignem excitant. Haec ille. Quis enim quaeſo in Phyſica, niſi prorſus hoſpes ignorat, ſcobem ferri, cum ſulphure vivo mixtum, & aqua adfuſa, in formam pultis, vel paſtae redactum, calorem concipere, inprimis in loco clauſo. Marcaſitae, & glebae ſulphureae, ex quibus vitriolum conficitur, ſi aëri humido & pluvioſo exponuntur, breui tempore ingentem aeſtum concipiunt. Ex terra nigra, bituminoſa, carbonibusque foſſilibus coqui ſolet *alumen*. In tali terra nigra, bituminoſa ſal acidum ſulphureum haeret. Si talis terra eruta, colligatur in acervum, & a delapſis pluviis madefiat, tum ita aeſtuat, vt primo fumum, & poſt quandoque & flammas emittat. Hic acidum ſulphureum aluminis, quod ope aquae ſolutum eſt, terram bituminoſam ſulphuream aggreditur, & in motum actum, accedente aëre, tandem etiam ignem producit. Hic ignis poſtea, per adpoſitas particulas bituminoſas, & ſulphureas, aliasque facile inflammabiles, pingues materias, multiplicatur, & latius propagatur. Tales vero in terrae viſceribus ſunt inprimis minerae ferri & ſulphureae, marcaſitae, vitriolicae, bitumen, ac alumen. Quod vero talis occultus ignis, in terrae viſceribus reconditus delitеſcat, huius rei fidem faciunt, tot montes ignivomi, motus immanes, & tonitrua ſubterranea, ac denique montium incendia. Quando aër, terrae, ſulphuri & aquae, principiisque martialibus mixtus, libere per terram poroſam, aut alia occulta terrae ſpiracula, nec non rimas, cauernas, & antra perſpirare poteſt, intus in telluris viſceribus

re-

retinetur calor, in eodem loco. Sed vbi ſpiracula illa, vel per allapſum aquae maris, vel fluviorum clauduntur, tunc fiunt ingentes terrae motus. Ante hos ſaepe mugitus & ſtrepitus, in viſcere terrae audiuntur. Poſt vbi durante terrae motu, fiſſurae ac rimae, hiatusque, aut antra, voraginesque in ſuperficie telluris aperiuntur, non ſolum odor ſuffocans ſulphuris, ex iis locis eructatur; ſed etiam ignes ac flammae, frequentiſſime conſpiciuntur. Familiare valde phaenomenon eſt hoc, ad Neapolim, & loca Italiae mari mediterraneo viciniora. Id triſti ſuo malo experiri debuerunt apud nos, Annis 1763. die 28. Junii IAURINENSES, & cum primis eodem die KOMAROMIENSES, eiusque arx ad linguam inſulae, intra Danubium ſita, & terrae motu miſere vaſtata. Vt nunc de celebri illo terrae motu taceam, quo celebris Portugalliae Metropolis, Olyſſippone, ſeu LISBONA, ad fluuium Tagum, & oſtia maris ſita, Anno 1755. die 1. Novembris, fere inter ſua rudera, terrae motu ſepulta fuit. Vide Mercure Hiſtorique, & Politique, pour l'ann. 1756. pour les Mois Ianv. & Fevr. Certe terrae motus, non vlli alii cauſſae, quam intra viſcera terrae concluſis & ſuffocatis ignibus adſcribi debere, ipſi effectus terrae motus, & phaenomena, quae eo tempore obſeruantur, evidentiſſime probant. Neque tamen nos primi ſumus, qui haec naturae arcana, cauſſasque illas, quae aquas calidas efficiunt, deteximus. ARISTOTELES ſane huius effectus, id eſt caloris in aquis

VIM

VIM IGNIS caussam esse clarissime docuit. *b*) Immo & HIPPOCRATES COVS *c*) Quin & LV-

---

b) Aristoteles Meteorologicorum L. II. c. 3. p. m. 343. 344. ex editione Casauboni in folio. ὅσα δὲ ἐστὶν ἁλμυρὰ ῥεύματα, ἢ κρηνῶν; τὰ πλεῖστα θερμά ποτε εἶναι, δεῖ νομίζειν, εἶτα τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπεσβέσθαι τοῦ πυρὸς, δι' ἧς δὲ διηθοῦνται γῆς, ἔτι μένειν οὖσαν. οἷον κονίαν, καὶ τέφραν. εἰσὶ δὲ πολλαχοῦ καὶ κρῆναι καὶ ῥεύματα ποταμῶν παντοδαποὺς ἔχοντα χυμούς. ὧν πάντων αἰτιατέον τὴν ἐνοῦσαν ἢ ἐγγινομένην δύναμιν πυρός. καιομένη γὰρ ἡ γῆ τῷ μᾶλλον, καὶ ἧττον, παντοδαπὰς λαμβάνει μορφὰς καὶ χροίας καὶ χυμῶν. *Quaecunque autem fluenta fluuiorum vel fontium salsuginosa sunt, ea maxima ex parte olim CALIDA fuisse. Terram vero, per quam transmissi colantur, adhuc remanere eius substantiam, qualia sunt pulvis, vel calx, & cineres. Sunt autem plerisque in locis & fontes & fluenta fluuiorum, quae omnis generis sapores habent. Quorum omnium caussam esse VIM IGNIS, quae iis inest, aut iis innata est. Terra enim, magis aut minus VSTA: omnis generis accipit formas & colorum, & saporum. Virtutibus enim aluminis, & pulveris, seu calcis, & aliis his similibus virtutibus, plena fit aqua: per quae transcolatae aquae, etsi dulces sint; tamen transmutantur. Et haec quidem acida redduntur, vti in Siciliae agro Sicanico &c.* Francisci VATABLI interpretationem cur neglexerim, lege graeca & videbis.

c) Hippocrates de Aëre, Locis & Aquis Sect. III. p. m. 283. 284. ex editione FOESII. Lugdunensi An. 1624. in folio. *Per aestatem, aquae palustres*

LVCRETIVS. *d*) Nonnullis autem fontibus calidis, tales ignitos terrae motus originem dediſſe, dubitari vix poteſt. PAVSANIAS enim refert: *Non longe* inquit *ab oppido Methana, calidum lavacrum vel balneum eſt, in Iſthmo Corinthiaco; quod Antigono Demetrii Filio, apud Macedonas regnante eruperat. Non ſtatim autem aqua calida erupit: ſed primo multus ignis exaeſtuabat; poſtea vero ſenſim exſtincto illic igne, fluxerat aqua, quae etiam aetate noſtra perdurat, & ſupereſt calida,* *ac*

---

luſtres, lacuum, ſtagnantes; per hyemem vero glaciatae, frigidae, & quae fiunt ex nive, nocivae ſunt: *δεύτερα δέ, ὅσων εἶεν αἱ πηγαὶ ἐκ πετρέων. σκληρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι, ἢ εἴτε ὅκου θερμὰ ὕδατα ἔστιν, ἢ σίδηρος γίγνεται, ἢ χαλκός, ἢ ἄργυρος, ἢ χρύσος, ἢ θεῖον, ἢ στυπτηρίη, ἢ ἄσφαλτον, ἢ νίτρον. ταῦτα γὰρ πάντα, ὑπὸ βίης γίγνεται τοῦ θερμοῦ. κ. τ. λ.,* *Secundo loco eas, quarumcunque fontes in „ ſaxoſis locis ſunt. Has enim duras eſſe neceſſe eſt; „ aut ſi, vbi calidae ſunt aquae, aut ferrum naſci„ tur, aut aes, aut argentum, aut aurum, vel „ ſulphur, vel alumen, vel bitumen, vel nitrum. Haec enim omnia, a VI CALORIS fiunt. Neque igitur ex huiuſmodi terra bonae aquae naſcuntur: ſed durae & urentes, & quae difficulter per vrinas ſecedunt, & egeſtioni alvi aduerſa ſunt. &c.*

d) Lucretius Libr. VI. p. m. 828. de miro fonte ſolis calido Hammonio.

Qua ratione eſt igitur, nimirum terra magis quod
Rara tenet circum hunc fontem, quam cetera tellus:
Multaque ſunt IGNIS prope ſemina corpus aquai.

ac vehementer ſalſa. e) Intra viſcera telluris, concluſis igitur ignibus, quos aquae praeterlabuntur; nec non terrae motibus, qui nunquam non ab iisdem ignibus coarctatis oriuntur, *calorem aquarum*, ſeu *thermas originem ſuam*, teſtatiſſimum eſt.

§. VIII.

Calidae vero aquae VARADIENSES, non in ipſa civitate, vel ſuburbiis habentur; verum illinc aliquo intervallo remotae diſtant. Qui fontes igitur illos ſalutares adire vult, Varadino recto itinere, a ſeptentrione in meridiem directo proficiſci debet. Ab arce Varadienſi, vſque ad Eremum S. MARTINI, vbi Praemonſtratenſes ſacellum habent, eodem itinere vtendum eſt. Hoc loco, via in duo brachia diuiditur. Via quae ad ſiniſtram dirigitur, in thermas S. LADISLAI ſeu Epiſcopales, altera vero quae ad dextram ſecedit, in thermas FELICIS deducit. Quum ſpatio fere horae dimidiae Varadino, iter in meridiem per agros in plano iacentes, emenſum eſt, tum colles paullatim elevari incipiunt. Creſcunt deinceps in altitudinem inſignem; ſed non praecipiti tractu, verum interea dorſum montium, ſenſim adtollitur. Poſtquam huc ventum eſt, montes ſic pro-

e) Pauſanias Libr II. cap. 34. p. m. 190. ex editione KVHNII. Lipſiae Anno 1696. in Fol.

prominent, ut ex eorum dorſo, non modo Comitatus BIHARIENSIS limites: ſed etiam bene multi in Tranſylvania montes, uti Abrukbányenſes, & alii, ex quibus diuiti vena eruitur aurum oculis quaſi ſubjiciantur. Ex iisdem, magna pars Comitatus Hunyad, & VALACHIAE minoris, quae inter Comitatum Bihar & Hunyad intercipitur, conſpicua fit. Eremum S. MARTINI, qui ad ſiniſtram prætervehitur, juxta fluvium illic praeterlabentem *Pecze*, per pagum Valachorum HAIO, in terra plana, ad campum amoenum, etſi non valde ſpacioſum defertur; vbi aquae calidae S. LADISLAI diviti vena eructantur.

§. IX.

Thermae S. LADISLAI, ex pluribus fontibus non procul a margine amnis PECZE, qui eas praetervehitur, ſex aut ſeptem plus minus erumpunt paſſibus; ac in alveum eiusdem, largiſſime effunduntur. Terra, ex qua fontes ſcaturiunt, aliquantum ſubflava ac argillacea; ſed minutulis ſaxis copioſe referta eſt. Balnea, ſeu ligneae caveae, in quibus homines ſe abluunt, ſunt numero quatuor. Primum horum, ſed quod extimum eſt, verſus meridiem, nobilium & illuſtriorum hoſpitum vſibus deſtinatum eſt. Huic ſunt circumpoſita vicina cubicula vel hypocauſta, pro recipiendis hoſpitibus idonea; vnde ſtatim ſub eodem tecto in balneum deſcendere poſſint. Ipſi caveae margini, cancelli lignei circumpoſiti ſunt. Parietes & fundus, ex tra-

bibus ligneis conſtant. Haec cavea lata eſt 13 pedum Viennenſium cum dimidio: longa vero $23\frac{1}{2}$ Aqua in iis contenta, tam limpida & pura eſt, vt fundus videri poſſit; quin & globuli, qui per trabes perforatas, ex imo ſurſum per impetum aliquem indidem, fere pugni magnitudine in ſuperficiem aquae protruduntur. Tanta vero copia aqua ex fundo eructatur, vt cum ex cavea omnis aqua per oſtium dimiſſa fuit, rurſus clauſo oſtio poſt quadrantem horae repleatur. Calor aquae ſic ſatis acutus eſt, vt imbecilliores & jeiuni, ſi in balneum deſcendant, facile in vertiginem & deliquium animi incidant. Id quod nonnullis accidiſſe, illic praeſens expertus fui. Domus eſt ex lapidibus conſtructa, non alta, nec fornices, ſed tabulata lignea domus tegunt. Extimum tectum ſcindulis clauditur. Plebeijorum balneum, ſub eodem tecto in vicina domo latum eſt $13\frac{1}{2}$ pedum: longum vero $28\frac{1}{2}$. Extra hanc domum in area ſub dio tertium balneum LVTOSVM ita dictum (SAROS FERDŐ) aliquot paſſibus a prioribus in eadem linea diſtans, longum $13\frac{1}{2}$ pedum, latum 26. absque ullo tecto ſuperimpoſito jacet. Tandem quartum balneum, verſus ſeptentrionem, in eadem area 15. paſſibus fere a primo remotum eſt S. LADISLAI, latum 12. pedum, longum vero 21. pedum. Hinc e regione ad paſſus fere 7. poſita eſt ſtatua lapidea S. LADISLAI Regis. Margines ac baſis horum omnium balneorum ſunt ex trabibus ligneis. Profunditas aquae in ſingulis eſt fere 4. pedum. Etiam fons S. LADISLAI ex terra ſaxoſa ditiſſima vena erumpit; ita vt etiam

eo

eo loco, vbi rivum continuo fluentem ex ſe dimittit, ibi quoque minuti lapides & ſaxa haereant. Hoc balneum S. LADISLAI arundine ſolum tectum eſt; quod lignea fulcra ſuſtinent, nec parietibus clauditur, ſed aura libere perflat. Praeterquam quod in margine orientali camera exigua, ex aſſeribus adpoſita eſt, vbi illi, qui balneo vti volunt, veſtes exuere, ac ita illinc in balneum deſcendere, poſt vero exituri, illic rurſus ſe induere poſſint. Equidem ſatis mirari non potui, hunc fontem ſic neglectim haberi, cum inter omnes illos, qui in thermis Epiſcopalibus ſcaturiunt, hic fons ſit non modo caloris temperatiſſimi, & ſe abluentibus grati, verum etiam ſale medico in eis hoſpitante ſupra ceteros ditior. Non mirum proinde, ſi hujus aquae in vſus medicos externos, aut internos adhibitae, ceteros fontes, qui hoc loco habentur, longiſſimo intervallo poſt ſe reliquant. Nulli fere honeſtioris conditionis homines, in has S. LADISLAI dictas veniunt; ſed ſolum miſerum vulgus, & vlceribus, aut ſordidis morbis infecti frequentant. Attamen hi imprimis, qui huius fontis aquis vtuntur, aliquod mali illius, quo conflictantur, levamen experiuntur. Felices proinde illos aegros, quos divitum ſupercilium a balneo Nobilium arcet; & huc ſub arundine tectum lavacrum relegat. In hoc enim, ſi ex praeſcripto conſilio medico vtantur, ſperare poſſunt illam ſalutem, quam in ceteris hoc loco ſitis, fruſtra forte quaeſiviſſent.

§. X.

Ab antiquiſſimis vero temporibus celebratae fuerant hae thermae Varadienſes. Quo nomine olim adpellatae fuerint, equidem non habeo dicere. WERNHERVS duplicem con-
„ jecturam adfert. Reſtant, inquit, inter cali-
„ das quibus quidem aliquod in Hungaria no-
„ men eſt, vnae prope VARADINVM, quae
„ vocantur *Divi Ladislai*, ſiue quia hic Divus
„ Ladislaus laverit, ſive quia ad aedem ei ſa-
„ cram, & ſepulcro ipſius claram, ac tum ipſi-
„ us, tum SIGISMVNDI Imperatoris, qui hic
„ quoque condi voluit, munificentia opulentam
„ pertinet. His plerique inter omnes Hunga-
„ riae calidas primas tribuunt. In quo tamen
„ amoenitatem potius earum, quam ſalubrita-
„ tem ſpectare videntur. Sunt enim calore per-
„ jucundo & temperato. Praeterea tam purae
„ & perſpicuae, vt ſpeciem rerum, ſi quae in-
„ jiciantur, ampliorem quam ſunt ipſae res,
„ reddere videantur. *a)* Iure vero, vel injuria ther-

---

a) Georgius Wernherus, *de admirandis Hungariae aquis Hippomnemation.* Inter ſcriptores rerum Hungaricarum, a Bongarſio collectos A. 1600. Francofurti, apud Wechelios in Folio editos p. m. 602. Dum vero id inter admiranda refert, ſpeciem rerum ampliorem videri, quam ſunt ipſae res, ſi fonti injiciantur, id mirum non eſt. Lux vel radius ex aqua exiens refringitur, *recedendo a perpendi-*

thermis Varadienſibus, primas inter calidas aquas nonnulli deferant, haec, quam inſtituam *Commentatio* oſtendet. Hos fontes vix aliquot paſſibus verſus ortum, amnis copioſis fluens aquis, incolis PECZE dictus, praeterlabitur. Huic ſuas aquas fontes infundunt, quae vix illinc ducentis paſſibus verſus ſeptentrionem remotae molae rotas, ad pagum Valachorum HAIO impellunt, ac cis Varadinum, Chryſio amni ſe infundunt. Rivus iſte ex plaga meridionali montium eluctatus, verſus thermas propellitur, quas praetervectus Varadinum vndas & alveum dirigit. A thermis verſus meridiem ad paſſus prope ducentos, mons fere coniformis exſurgit, qui ſupra ceteros omnes circumjacentes, vertice ſublimiore eminet. Hunc veſti-

---

diculo, & ſic neceſſario ſub majore angulo videbiur a ſpectatore, ſed quae ſub angulo majore videntur, illa adparent majora per leges optices. Verum quis id militi, qui Praefectus arcis SAROS fuerat, vitio vertat, ſi Phyſices & Dioptrices non ſatis peritus ſit? Varadienſem Epiſcopatum a S. Ladislao fundatum fuiſſe R. PRAY negat; ſed hanc quaeſtionem meam non faciam, nec huc pertinet. Viderint Critici! illi per me licet & diſputent, & litigent. Vulgo fundatio ejus refertur ad A. P. C. 1092. Conſule eiusdem Annales RERVM Hung. Libr. II. Ladisl. I. p. 92. partis primae. R. autem Ladislaus TVROCZI ad A. 1089. Epiſcopatus initia refert, in Vng. Comp. data. Tyrnaviae, A. 1768. in 4to. p. 216.

unt ſylvae, ac latera ejus arboribus hinc inde conſita ſunt. Ex ipſo vero monte eruuntur lapides, ex quibus accolae Valachi calcem magna copia excoquunt. Hinc magna pars regionis a Tibiſco verſus Tranſylvaniam, atque ita civitas DEBRECINENSIS, ac OPPIDA HAIDONVM, quin & Cumania maior SZOLNOKINVM vſque pro aedificiis calcem accipiunt. Pes montis hujus, vel ſi mavis ejusdem radix, in formam dorſi vſque ad ſacellum *S.* Martini in eremo ſitae ſeſe expandit, atque thermas Divi Ladislai, a thermis Felicis ſejungit. Verſus orientem ab his thermis adſurgunt montes, non vſque adeo alti, ſimul cum dumeto, qui ſexaginta & amplius paſſibus totum hoc latus tegunt. A ſeptemtrione hiatus non valde amplus eſt, per quem hae thermae, veluti per fauces aliquas Thermopylarum, adiri conſueverunt. Tandem latus occidentis colles cum dumetis, ſeu pes montis illius meridionalis calcarii circumdant. Planities proinde, quae ab his montibus & collibus circa thermas clauditur, a ſeptentrione in meridiem paſſus quadringentos, ab ortu autem in occaſum vix tercentos complectitur. Latitudo loci, ſeu altitudo Poli, heic loci 47 graduum eſt. Longitudo vero a Pico Teneriffae numerata 42 graduum & 10 fere minutorum obſervatur. *b)* Neque autem ali-

b) Elevatio Poli, quomodo inveſtiganda ſit, docui in *Introductione ad principia Philoſophiae ſolidioris*

aliquem mirari oportet, cur fontes hos, locumque ac situm eius paulo adcuratius descripserim, atque ita *Topographiam* harum Thermarum dederim. Ita enim semper existimavi, sic Lectores adcuratius posse ferre judicium, etiam de rebus, quas ipsi praesentes oculis subjicere non potuerunt. Atque de huius generis rebus hac iam olim fuisse mente POLYBIVM, gravissimi & acris judicii scriptorem non sine voluptate recordor. Ne vero, inquit, propter
„ locorum ignorantiam, ea quae dicentur non
„ demonstrata & surda (id est obscura) sint;
„ cum tamen eorum natura & situs designari
„ posset, id quod & in opere toto hujus Hi-
„ storiae facere conamur, conferentes semper
„ & combinantes loca ignota, cum notis &
„ cognitis, aut jam explicitis. Volumus au-
„ tem omnes, non vsque adeo id cognoscere,
„ quid factum fuerit, quam id, quomodo quid
„ contigerit, idcirco non est contemtim haben-
„ da locorum descriptio (seu delineatio) ET
„ QVIDEM IN NVLLA RE qualiscunque illa
„ fuerit, maxime autem in bellica. Neque

 om-

---

ris in Appendice Anni 1757. Debr. in 8vo. Longitudo vero loci optime ac facillime per ecclypses satellitum Jovis determinatur. Vide Ioannis Keill Introductio ad veram Physicam & Astronomiam lectione XVI. p. m. 352. Lugduni Batavorum A. 1730. in 4to. Item Veidleri Institutiones Matheseos, Geographiae generalis §. 31. Amstelod. & Wittembergae A. 1759. in 8vo.

„ omnino pigeat, aliquando paludibus & ma-
„ ribus ac inſulis loco ſignorum vti; rurſus au-
„ tem quandoque templis, montibus, regioni-
„ bus inſignioribus ac poſtremo differentiis il-
„ lis, quae ex circumſtantiis colliguntnr. Nam
„ illae omnibus hominibus ſunt communiſſimae.
„ Hac enim vnica ſolum ratione id fieri poteſt;
„ vt ad notitiam ignarorum ea perveniant, de
„ quibus a nobis aliquid narratum fuiſſe audi-
„ verunt. c) Eadem fuiſſe mente & DIODO-
RVM

c) Polybius Libro V. p. m. 143, 144. ex edit. Baſileenſi Hervagiana A. 1549. in Folio. NICOLAI PEROTTI interpretationem cur neglexerim, lege graeca & videbis. Meliorem enim editionem hac quam poſſideo, ne ab amicis quidem habere potui. ἵνα δὲ μὴ τῶν τόπων ἀγνουμένων ἀνυπόδεικτα καὶ κοφὰ γίγνεται τὰ λεγόμενα, συνυποδεικτέον ἂν εἴη τὴν φύσιν καὶ τάξιν αὐτῶν, ὃ δὴ καὶ παρ ὅλην τὴν πραγματεῖαν, πειρώμετα ποιεῖν συνάπτοντες καὶ συνοικειοῦντες ἀεὶ, τοὺς ἀγνουμένους τῶν τοπῶν τοῖς γνοριζομένοις καὶ παραδιδομένοις, ἐπεῖ δέ τῶν κατὰ πολέμον κινδύνων τοὺς πλείους καὶ κατὰ γὴν, καὶ κατὰ θάλαταὰν βάλλουσιν, αἱ τῶν τοπῶν διαφορτι βουλόμεμεθα δέ πάντας οὐκ οὗτο τόγεγονός, ὠς τὸπῶς ἐγένετο γινώσκειν, οὐ παρολιγορητέον, τὴς τῶν τοπῶν ὁπογραφὴς, ἔν οὐδ᾽ ὑποῖα μὲν τῶν πράξέων, ἥκιςα δὲ ἐν ταις πολέμικαῖς, οὐδ᾽ ὀκνητέρον πότε μὲν λιμέσι, καὶ πελάγὲσι, καί νὴσοις σύνχρῆσθαι σημειοῖς, ποτε δὲ πάλιν ἱεροῖς, ὄρέσι, χώραις ἐπονύμωις, τὸ δὲ πλευταῖον, ταῖς ἐκ τοῦ περιὲχοντος διαφοραις. Ἐπεὶ
δὴ

RVM SICVLVM, vti ratione, ſic exemplis cumulate oſtendit. Nos vero inquit, rerum
„ deinceps geſtarum narrationi conveniens
„ eſſe arbitramur, ſi prius & defectionis cauſ-
„ ſas, & totius Aſiae ſitum, & Provinciarum
„ ſpatia, & naturas exponamus. Hac enim
„ ratione longe facilius Lectores narrationem
„ inſtituendam aſſequentur, ſi oculis eorum
„ ſubjiciatur loci deſcriptio, id eſt poſitus &
„ diſtantia locorum. *d)*

C 5 §. XI.

δὴ κοινότατοι πᾶσιν ἀνθρώποις εἰσὶν αὗται μόνως γὰρ ὅτω δυνατόν, εἰς ἔννοιαν ἀναγαγεῖν τῶν ἀγνοουμένων, τοὺς ἀκούοντας.

d) Diodorus Siculus Libro XVIII. Bibliothecae Hiſtoricae No. 589. Tom. II. p. 260. ex editione Weſſelingii Amſtelod. A. 1746. in Fol. οὕτω γὰρ μάλιστα εὐπαρακολούθητος τοῖς ἀναγινώσκουσίν ἡ διήγησίς, ἔσται πρὸ ὀφθαλμῶν τεθείσης τῆς ὅλης τοποθεσίας καὶ τῶν διαστημάτων. Qui graece norunt, ſatis perſpiciunt TOPOCHESIAM vel Topographiam idem ſignificare, ac delineationes geographicas hoc modo denominari ſolere. Malui vero haec de novo interpretari & latina facere, quam RHODOMANNI interpretationem ſequi. Illic enim haec habes: *Hac enim ratione, ſi regionum poſitus & intervalla locorum oculis ſubjiciantur, expedita & plena erit oratio.* Vel ex his paucis liquet, haud injuria in ſua Praefatione ſcripſiſſe Cl. WESSELINGIVM: *Latina Rhodomanni, etſi haud ſatis vbique arriderent, non rejeci, mutatis tamen vbi Graeca dari poterant meliora nonnullis.*

§. XI.

Aetate S. Ladislai vrbem ac imprimis arcem Varadienſem, aedificiis ſplendidioribus ornatam fuiſſe, vti extra omne dubium eſt, ita thermas has ſalutares, cultas, domibusque, quae neceſſariae fuerant inſtructas, facile colligi poteſt. BONFINIVS inter ceteros, Varadienſem Baſilicam, vbi Divi Ladislai corpus requieſcit, commemorat. *Spectatur* inquit *etiam ex AERE, equeſtris illius ſtatua, ſtatuaeque nonnullae. a)* Illuſtrium virorum illas fuiſſe, nemo ſanus negaverit. Quas loco iſti decus ac majeſtatem quamdam conciliaſſe, res ipſa loquitur. Baſilicam vero magnificentiſſimas fuiſſe aedes, quas Divae Virgini Ladislaus dicaverat BONFINIVS alibi commemorat. *b)* In qua diu noctuqe ex SIGISMVNDI Imperatoris fundatione Pſalmos Davidicos ad eius tumbam (eodem in loco ſitam) mutatis per vices perſonis concinni, NICOLAVS OLAHVS Archi-Epiſcopus Strigonienſis memoriae prodit. Inſuper haec iis ſubjicit: arx hujus inquit, conſpicua eſt,

---

a) Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum Decad. I. Libro I. Hannoviae Typis Wechelianis Anno 1606. in Folio p. m. 26.

b) Bonfinius l. c. Decad. II. Libr. IV. p. m. 231. Ioan Turocii Chronic. Hungar. cap. 59. p. m. 67. Confer. P. Ranzanii Epitom. Rer. Hung. Indic. XI. p. m. 230.

eſt, tum ſtatua Equeſtri Divi LADISLAI *aerea* ingentis molis, tum aedium magnificentia, quas SIGISMVNDVS TVRZO Epiſcopus, meus olim nutricius aedificaverat. *c*) De thermis autem ejus ita paucis defunctus fuit, vt ſatis haberet dicere, id ſi in genere moneret: hae, inquit, ad omne fere genus morborum curandorum ſuaviſſimae ex experientia habentur, maxime, quae ſunt Budae, *Varadini*, Trentſinii & in Sclavonia. *d*) At hodie tam illuſtrium monumentorum ſola fere triſtis recordatio ſupereſt. Nunc quidem Auguſtæ Imperatricis & Reginae MARIAE THERESIAE liberalitate ipſa arx ſplendidiſſime renovatur, poſtquam A. 1770. infelici incendio tectum, & alia aedificia conflagraverunt. Immo & novum templum pro militibus praeſidiariis conſtruitur.

CA-

c) Nicolai Olahi Hungaria, ſive de Originibus Gentis Regionis ſitu &c Liber ſingularis. In Adparatu Belii ad Hiſtor. Hung. cap. XVI. Poſonii, 1735. in Fol. p. m. 30.

d) Ibid. Cap. XVIII. p. 35.



CAPVT II.

Descriptio Physica Thermarum Felicis.

§. XII.

Quis primus hunc salubrem fontem detexit vel vnde, & a quo nomen hoc ei haeserit? equidem nihil de ea re certi adferre possum. Felix tamen ista scaturigo, quin temporibus etiam iis infelicissimis culta fuerit, quibus Seculo superiore arx Varadiensis Turcico jugo subjecta gemebat, quaedam rudera aedificiorum ab iis illic constructorum monstrare videntur. Num igitur a S. FELICE, vel ab ea quam aquae ejus salutares, miseris aegrotis promittunt felicitate, hae thermae FELICIS nomen acceperint; in id vero hac vice anxius non inquiram, neque enim tanto otio abundo, vt his minutiis immorer. Criticis proinde lubens campum apertum heic relinquam. Iam de re, non autem de verbis nobis agendum erit.

§. XIII.

Fons hic vt prior vno fere lapide ab arce Varad meridiem versus distat. Ab arce ista, eodem itinere vsque ad Eremum S. Martini vti oportere, paullo ante §. VIII. monui. Via jam hic bifida fit. Harum altera, quae ad dextram dirigitur, in thermas Felicis deducit. Quare

re Eremum S. Martini per juga montis praetervectos, iter praeceps in vallem dimittit, ita quidem, vt rotae currus catena coerceri debeant. Vallis haec in planitiem exiguam abit, quae a circumjectis montibus formatur. Septemtrio, Occafus & Meridies, arboribus, fylvaque amoena clauditur; ortum vero folis dumetum, hinc inde per colles difperfum ambit. Quorum pars inclinata verfus fontem aliquot jugerum pratum habet, foeno colligendo fatis idoneum.

§. XIV.

Ab hoc fonte ad paffus plus quam ducentos mons, arboribus hinc inde confitus adfurgit, cuius vertex ceteros omnes adjacentes altitudine perpendiculari vincit. Hic idem ille mons eft, de quo a nobis §. X. dictum fuit. A monte autem illo, qui occafum verfus vallem claudit, fons Felicis XXV. paffibus removetur. Ab altero vero in ortum, in formam collis elevato, qui nonnifi pes vel radix montis illius eft, qui ad meridiem altiffime caput extulit, vix quadraginta paffibus abeft.

Montes vero in feptentrionem & meridiem protenfi, illi ad octoginta, hi ad centum & amplius paffus removentur.

Thermae Felicis ab Epifcopalibus non itinere vnius quadrantis horae ab invicem diftant. Qui ex thermis Felicis in Epifcopales fe conferre vult, ab occafu iter in ortum dirigat oportet.

tet. Collis non valde altus, vel potius radix montis illius majoris, §. X. in formam dorsi vsque ad sacellum S. Martini fere sese expandens, vtrasque thermas separat. Aqua calida balnei Felicis vno solum alveo, vel cavea excipitur; sed quam in medio jam hodie vnius pedis crassitie murus lapideus dividit. Hac ratione nobiles & sani a rusticis vel morbidis, item viri a mulieribus ne simul se abluant, seiungi possunt. Olim ex trabibus & tabulatis ligneis cavea constabat. At nunc liberalissima cura Reverendissimi LVDOVICI EHENGER, Administratoris Plenipotentiarii sacri & exemti Ordinis Praemonstratensis, & S. Stephani de Promontorio Varadiensi Praepositi &c. ex caesis lapidibus quadratis, & pro ratione loci politis anno superiore MDCCLXXI. constructa est. Et quidem non solum eius latera, sed etiam cavea, vel cellae aut ablutorii basis. Ex parte igitur infima, seu fundo caveae lapideo per foramina pertusa, quibus lamina cuprea minoribus foraminibus instructa imposita est, aqua salutaris instar globulorum sursum propellitur. Cavea lapidea vna lata est $17\frac{1}{2}$ pedes Viennenses; longitudo quoque fere eadem; profunditas est 4. pedum & amplius; id est, prout se abluentibus placet, possunt se ad diversas altitudines demittere. Vtraeque caveae proinde sunt ejusdem longitudinis & latitudinis, quas intus gradus tamquam subsellia cingunt. Ambulacrum, quod caveis circumpositum est, 4. pedum latitudinem habet. Margo cavearum superior cancello, & columnis tenuioribus lapideis pulcherrime caelatis & politis cingitur. Ex

ca-

cavea igitur perpetuo aqua ſuperflua effluit, ſemel impura reddita vero, per januam cupream baſi parallele poſitam emittitur, & alveus iſta ratione commodiſſime mundatur, ac ſcopis verri poteſt. Si proinde aqua concluſa ex caveis dimittatur, ſic intra 4 fere horas, janua clauſa, rurſus repletur. Antea vero cum cavea ipſa ex tabulatis ligneis conſtabat, nec vſque adeo ſollicita cura fontes indagati fuere, vix intra 26. horas aqua fontis ad 4. pedes in caveis aſcendit. Copia proinde aquarum, quae in thermis S. Ladislai ex fonte erumpit, ad illam quae ex his Felicis ſcaturit, eſt fere vti 16 ad 1.; id eſt ſexies & decies plus aquae eructatur ex fontibus S. Ladislai eodem temporis intervallo, quam ex thermis Felicis; ſeu copia & velocitas impulſus fontis Epiſcopalis ad Felicis eſt, vti 16-1.

§. XV.

Id vero ſingularem meretur adtentionem, aquas has thermarum, moſchum illum, villosque, qui canali ligneo adhaerent, per quem aqua effluit, aliorumque lignorum, quae in rivo proxime ad fontem haerent, pulcherrimo colore albicante imbuere ſolere. Quum tamen notum eſt, moſchum & villos, vel gramen, quod ſuperficiei canalium, item lignis, trabibusque molendinorum adnaſcitur, quorſum radii ſolis pertingunt, viridi aut praſino colore infici. Terra, ex qua fons ſcaturit, vti

&

& huic circumjacens, quasi argillacea aliquantum limosa, paullulum nigricans ac graveolens est. Cum tamen terra illa, vnde Episcopales thermae erumpunt, saxosa ac arenosa est; ita vt rivus ille, quem hae efficiunt, copiosas statim arenas & saxa habeat. Id quod in rivo Felicis observare non licet.

§. XVI.

Hospitibus etiam, qui thermas Felicis adeunt, satis perspectum est. *Si* sani se ablutum eo veniant, hi cubicula seorsim a fonte posita, pro se habere possunt. Infirmiorum vero caussa sic decem hypocausta circumposita sunt, vt ex inferioribus quidem quinque domibus, recta, ex aliis autem quinque his superpositis, per scalas aptas in balneum commodissime descendi possit. Domus istae superiores & inferiores numero decem, eidem subjacent tecto, simul cum balneo ipso. Hoc aedificium in Eremo ista, sic satis splendidum magna diligentia, sub propria inspectione & operariorum fere quotidiana directione, idem Reverendissimus Praepositus & Abbas EHENGER construi jussit. Tanto autem id commodius praestare potuit, cum in Eremo vicina *S.* Martini (vulgo SZENT MARTON) non modo sacellum, seu sacras aedes, sed & amoenissimam domum aestivam, simul cum horto eidem innexam habeat. Haec domus aestiva vix mille passibus a thermis Felicis distat; si in linea recta quis per agros & prata

prata iter facere velit. Saluberrimo autem loco, in colle elevatiore, aestiva illa domus posita est. Inde non modo thermae Felicis, sed & VARAD, Basilicaque nova, splendidissima, simul cum Palatio Episcopi, quae nec Principe indigna foret, nec non Canonicorum Palatiis, quae omnia partim nuper exstructa sunt, partim nunc educuntur, oculos & animum spectatoris, quoties sudum & atmosphera pura est, miro modo delectant. Id quod & mihi accidit ipsi, cum die 22. Octobris An. 1771. idem Reverendissimus Abbas, illic liberali hospitio me excepit.

§. XVII.

In domum illam, vbi aqua salutaris in cavea haeret ingressis, gravis odor, & quasi sulphureus, inebrians nares ferit, caputque opplet; ac hebetudinem aliquam sensibus inducere videtur. Color aquae caerulescens conspicitur. Vbi vero sensim corpus balneo immittitur, tum instar acicularum poros cutis sollicitare, ac adoriri videtur. Calor eius satis magnus est : ita tamen, vt commode ferri possit, nec tam vehementer corpus calefaciat, quam vel thermae Episcopales, aut Budenses. Hae enim imbecillibus, & quorum ventriculus vacuus est, non modo nauseam, sed etiam deliquium animi frequentius caussantur. Vidi hominem phthisicum iam fere emaciatum vltra duas horas, absque insigniore aliqua molestia, balneo huic Felicis insedisse. Non hoc in ther-

mis Episcopi absque periculo vitae experiri potuisset.

§. XVIII.

Id praeterea hae aquae Felicis adnotatione dignum habent, quod annulos hominum argenteos in digitis haerentes, colore fusco, contra autem aureos longe pulchriore & magis saturato colore aurantio inficiant. Hic tamen argento & auro inductus color, post aliquot dies, vbi vsu teritur annulus, sensim discedit ac deletur. Ceterum nec ad margines caveae, nec ad canalem, per quem aqua elabitur, nec in rivo quem efficit, vel minimum sulphuris observari potest. Vti id de AQVISGRANENSIBVS Thermis notum est. Neque tamen idcirco negaverim, principia sulphuris subtilissimi in aquis Felicis delitescere. Color enim ille fuscus, quem argento; contra aurantius, quem auro inducit, sulphuris praesentis certissimum indicium est. Vti id HOFMANNVS observavit. Vide de Thermis Carolinis §. 8. p. 223 in Opusculis Physico Medicis Tom. II. Vlmae, Anno 1736. in 8vo.



CA-



CAPVT III.

De Thermis Episcopalibus, Experimentum Physico-Chemicum, & quidem fontis illius, vbi Domini se abluere solent, ad fontem ipsum institutum. Anno MDCCLIV. d. 29. Martii, & Anno MDCCLXXI. Mense Iunio repetitum.

§. XIX.

1. Aqua ex fonte hausta est purissima, clara, odoris exigui, aut fere nullius.

2. Oleo Tartari per deliquium instillato, ad guttas sex quantitati vnciae vnius aquae effervescentia fiebat nulla, sed praecipitatio aliqua; claritas manebat in superficie, & sedimentum occupabat fere fundum; ita tamen vt pars inferior esset opacior. Post aliquot tamen minuta horae, condensatio & partium cohaesio circa medium, fiebat major. Tandem post minuta horae decem, cadebat sedimentum, instar pulvisculi, quod valde tenue in fundo haerebat.

3. Spiritus Nitri alteri poculo instillabatur. Effervescentia fiebat nulla, coloris mutatio nulla, odor nullus.

4. Poculo quarto guttas XII. syrupi violarum infudi, sed cecidit in fundum; nubecula vero exigua versus fundum adparuit; ea fuit transparens. Verum post agitationem bacillo factam, solutio fiebat perfecta, coloris mutatio

fere nulla. Solutio facta est perfecta, nec sedimentum deposuit vllum post vnicam etiam horam.

5. Alteri poculo instillavi oleum vitrioli. Effervescentia erat nulla, odor nullus, praecipitatio fiebat nulla.

6. Poculo ad numerum 2um instillavi guttas VI. syrupi violarum, color reddebatur viridescens.

7. Syrupum violarum infundendo ad guttas XXIV. Nro. 3: color nascebatur violaceus, rubescens ad hyacinthum accedens.

8. Poculo alteri hac aqua fontis pura impleto, instillavi, spiritus salis ammoniaci anisati guttas VI; color reddebatur statim turbatus lactescens. Post quadrantem horae vnum color turbatus mansit, sedimentum tandem instar pulvisculi ruebat ad fundum.

9. Pulvis Rhabarbari ad gr. V. injectus, colore saturato croceo aquam fere 3. vnciarum tinxit.

10. Pulvis gallarum inspersus difficilius descendit ad fundum, quam in aquis Felicis. Partes quaedam pulveris suspensae haerebant, etiam vltra sex minuta horae. Color aquae accessit ad flavedinem aliquam.

11. Sapo in ejus aquis solvitur subtilius, quam in thermis Felicis. Lintea, sindon &c. in his thermis lotae, nunquam satis albicant, aut splendent. Sapo enim non solvitur perfecte in his aquis propter illum salem, quem in sinu suo habent.

12. Ex his thermis aliquot lagenis vitreis, magna cura haustas aquas & conservatas adferri cu-

curaveram Debretzinum. Tum hic ad bilancem expendi aquam Thermarum Epiſcopalium, implendo lagenam vitream in Apotheca Civitatis Debretzinenſis d. 11. Iunii 1771. Pendebat igitur ſimul cum vitro vna lagena vitrea, vncias XLV. cum dimidia, minus granis decem. Idem vitrum poſtea implevi aqua putei noſtri ad plateam Várad, cujus aqua optima & leviſſima apud nos habetur. Aqua cum vitro ad bilancem expenſa dedit XLV. vncias cum dimidia vncia, item plus drachma vna & grana XIII. Ergo aqua Thermarum Epiſcopalium levior eſt noſtra aqua, qua nos Debretzinenſes pro potu ordinario vtimur, drachma vna cum tribus granis. Vel invertendo aqua noſtra putealis, gravior eſt aqua thermarum Epiſcopalium ſub eodem volumine ſexaginta tribus granis. Aquae vero putei noſtri ante portas civitatis plateae Cſapo & Várad, ex ſabulo puriſſimo flaveſcente (*vulgo ſárga HOMOK*) ſcaturiunt. Hinc dum venti flant ſicci, nec pluviae frequentes decidunt, aqua horum puteorum noſtrorum eſt puriſſima, clara, odoris nullius, & in qua ſapo facillime ac perfecte ſolvitur. In his lentes & piſa optime coqui poſſunt, ac ita cito in pultem redigi.

CAPVT IV.

De Thermis Felicis, Experimentum Physico-Chemicum, institutum Mense Majo Anno MDCCLIV. repetitum Anno MDCCLXXI. Mense Iunio.

§. XX.

1. Aqua ex fonte ipso hausta limpida, & instar crystalli purissima ac calida est. Odorem emittit copiosum, nares ferientem, acrem valde volatilem, subtilem; sed quo diutius stat aqua, eo magis sensim ac paullatim ad colorem caerulescentem vergit. Atque ita claritas illa, quam aqua primo hausta habuit, lente ad opaciorem vergit. Opacus ille color sensibilis fit intra minuta horae octo. Manifesto indicio partem volatilem cito aufugere. Id quod odor intra duas horas notabili quantitate deficiens, satis prodit.

2. Instillavi proinde Spiritum Nitri acidum, limpidum in poculum dimidium hujus aquae. Effervescentia tamen fere nulla sentiebatur, etsi motus exiguus in aqua observari potuerit. Haec admixtio facta est guttatim. In colore mutatio fiebat nulla. Odor tamen & spiritus volatilis aquae hujus mineralis, acrior & magis exaltatus reddebatur, olfactumque feriebat gravius, quam odor ejusdem aquae in diversis poculis haerens, etiam post spatium vnius horae cum dimidia: sedimentum cadebat ad fundum fere nullum, etiam post horas XI.

&

& claritate ac pelluciditate cetera pocula superabat, nec pellicula vel minima visa est in superficie.

3. In aliud poculum vitreum ad dimidiam partem aqua soteria repletum, instillavi guttas X. olei tartari per deliquium. Verum ad singularum guttarum lapsum, color albus lactescens notari potuit; adeo, vt intra minutum primum horae poculi pars inferior, opacior & sedimento quasi repleta videbatur. Color partis dimidiae aquae in poculo contentae, versus fundum ad pollicis vnius altitudinem sic periit, vt prorsus non transpareret. Odor tamen aquae post hunc spiritum alcalinum infusum, reddebatur magis exaltatus. Sedimentnm vero ipsum sensim colligebatur in flocculos exiguos, similes iis, qui in vrina hecticorum aut phthisicorum cernuntur. At sedimentum hoc sic colligebatur, & in fundum cadebat, vt aqua tota quanta transparens & pellucida redderetur; praeterquam quod a fundo ad distantiam trium fere linearum instar pulveris, materia praecipitata in circumferentia haerebat. Odor tamen sentiebatur gravior etiam post duas horas, quam aquae illius, cui nihil fuerat injectum. Post spatium horarum X. tenuis pellicula in superficie aquae conspecta est, flocculi etiam fuere pauciores, minores, in fundo paullulum albicantes, sed tamen quasi pulvere terrae respersi.

4. Tertio poculo aquae guttas XII. syrupi violarum immittebam. Post aliquot minuta sic omne id solvebatur, vt ex oculo penitus dispareret, verum solus color aquae paullulum

obſcurior reddebatur. At nec in initio nec poſt binas horas vlla coloris mutatio in viridem, rubrum, nigrum vel alium obſervari potuit. Manſit pelluciditas aquae; & quidem absque ſedimento, etiam poſt XI. horas: quae tamen illam non aequavit, quae fuerat poculi, in quem Spiritum Nitri inſtillaveram.

Quartum poculum expoſui aëri libero, nec tamen intra XII. horas vllum ſedimentum depoſuit, nec pelluciditas turbatur, praeterquam quod color paullulum ad ſubcaeruleum coeleſtinum tendebat.

5. Quinto poculo guttas X. Spiritus ſalis ammoniaci vrinoſi inſtillavi, pelluciditas aquae quidem turbata eſt, & ad alborem ferebatur.

6. Poculo ad numerum 2um rurſus inſtillabam ſyrupi violarum guttas XII. ſed coloris aquae mutatio fiebat nulla, verum ſyrupus indiſſolutus fere cadebat ſtatim in fundum, color autem ſyrupi erat magis exaltatus, & a violaceo ad rubicundum vergens. Poſtea calamo ex ſtramine abſciſſo agitatus liquor totus, colorem induebat ad rubicundum magis vergentem. Aquae copia fuit fere vnciarum duarum.

7. Poculo ad numerum 3um indidi guttas XII. ſyrupi violarum, ſed color omnis violarum ſic abſorptus eſt, vt in paullulum virideſcentem vergeret, ſedimentum autem maneret in fundo.

8. Ad numerum 5um memorato poculo, guttas XVI. ſyrupi violarum immiſi, qui cadebat recta in fundum, poſtea bacillo agitatus liquor paullulum totus caeruleſcens adparuit,

nec

nec ſyrupus amplius in fundum cadebat, vel in hoc poculo, vel in ſecundo & tertio.

9. Sextum etiam poculum ſumſi hac aqua fontis plenum, cui oleum vitrioli ad guttas XX. immittebam. Effervescentia fuerat nulla, odor tamen gravior & intenſior reddebatur, color aquae paullulum caeruleſcens viſus fuit. Huic poculo inſtillavi ſyrupi violarum guttas XII. Tum color natus fuit violacei gratiſſimi coloris, rubicundus vero in fundo apparuit. Bacillo tandem agitata aqua ſic ſolvit ſyrupum, vt rubeſcentem aliquomodo colorem referret.

10. Alteri poculo immiſi pulveres ſicciſſimos gallarum, qui ſubito cadebant in fundum & deſidebant, color autem aquae mutabatur in brunum, qualis color eſſe ſolet veſtium detritarum inter Franciſcanos, non fuſcus, vel ad atrum vergens, ſed fere qualis eſt gallarum nonnullarum cortex exterior ad flavedinem inclinans. Superne pellicula adparuit, fere oleaginoſa.

11. Vitro cui infuderam numero 9no *Spiritum vitrioli* & demum ſyrupum violarum, qui ſolutus aquae colorem a violaceo valde ad rubicundum vergentem exhibuerat, injecto poſt XVIII. horas pulvere gallarum, omnem illum colorem perdidit rubeſcentem, ſed color fuerat purus, paullulum flaveſcens primum, poſtea magis ac magis ad limpiditatem accedens.

12. Etiam poculo ad numerum 9um notato pulverem gallarum injeci. Color ille amoenus purpuraſcens diſparuit, & minus flaveſcebat color, quam ad nrum 11um aqua vero red-

debatur fere excolor, non tamen aeque clara, qualis ex fonte hauritur.

13. Librae dimidiae aquae, grana X. rhabarbarini pulveris injeci, & tinctura fiebat gratiſſimi coloris aurantii, rubeſcentis paullulum, imprimis circa fundum. Superius vero nubeculam quandam pinguem oſtenderat. Infuſo huic rhabarbarino quinque guttas Spiritus Nitri inſtillavi. Naſcebatur ſic color virideſcens, cui cum VI. guttas olei tartari per deliquium inſtillaveram, redire cepit color aurantius. Cum autem in altero poculo infuſioni iſti rhabarbarinae oleum tartari affudi, intenſe rubicunda reddebatur infuſio coloris aurantii, etſi guttae nonniſi eſſent X, infuſio autem quatuor vnciarum.

§. XXI.

14. Exhalationi committendo aliquot libras medicas hujus aquae, & evaporando in vaſe ferreo, cum aliud non ſuppeteret ibidem in thermis, manebat ſal, linguam ſapore aliquomodo pungente, ſalſo adficiens. Senſus ille punctorius aliquamdiu manet in lingua, quae deguſtaverat. Parca quantitate haberi poteſt ſal, vel ex tribus vel quatuor libris aquae thermarum Felicis. Longe adhuc pauciori ex thermis Epiſcopi, vel S. Ladislai.

15. Sal ſic adquiſitum, & vitro mundo impoſitum, cum oleo vitrioli odorem efficit penetrantiſſimum, vrinoſum alcalinum, atque abit fere in magma, vel paſtam cum oleo vitrioli

trioli, ejusque guttis aliquot ſuperinfuſis. Efferveſcentia vero cernitur exigua. Solutio tamen fit perfecta cum odore graveolente.

16. Salis ejusdem ſic adquiſitae quantitati exiguae adfundendo oleum tartari per deliquium odor excitatur fere nullus, ſolutio fit lenta, abſque vlla efferveſcentia.

17. Cum Spiritu Nitri acido efferveſcentia hujus ſalis fit, cum ſibilo in bullulas erumpente. Odor emergit acerrimus, volatilis, nitri, qualis aquae fortis eſſe ſolet. Solutio autem fit limpida, pura, clara, adeo vt in guttis V. Spiritus Nitri, tria etiam grana ſalis ex aqua adquiſitae, ſolvi poſſint.

18. Sal hic acui nagneticae admotus aliquantum in motum ſollicitat acum ipſam, verum cum ſal ſiccus eſt; ſimulatque enim ab aëre externo humorem aliquem in ſe traxit, vix amplius id facit.

§. XXII.

19. Ex eodem fonte hauſi menſuras duas aquae, (*négy itzét viere halbe*) easque lagenis vitreis mundis immiſi, nec tamen fortiter claudebam orificium, ne a ſuccuſſatione vehementiori, & vi elaſtica aëris intus clauſi disjicerentur. Per milliaria octo ſic domum ductas lagenas repoſui in locum ſiccum, vbi per duas hebdomades ſteterunt in quiete. Altera quidem plus, altera minus ſedimenti dimiſit in fundum. Aqua tamen fuerat limpida, clara, odore gravi aliquantum foetida. In altera earum

vi-

videbatur massa quaedam hinc inde volitans, instar pinguedinis mucosae. Hanc tamen materiam illinc puto coaluisse, quod tunc etiam, cum aqua hauriretur, homines sese in aqua abluebant.

Tum lagenam vnam evaporationi exponendo, adquisivi ex hac aqua salis grana XV. Verum ex altera lagena evaporata, in qua pinguedo quaedam hinc inde volitare videbatur, grana XVII. salis obtinui.

20. Sal hoc modo adquisitum est coloris cineritii, quod postea magis nigrescit, quo diutius aëri humido expositum haeret. Satis etiam siccum est ab initio, odore fere nullo. Sed cum hoc idem sal in charta solum servarem clausa per dies XVIII. interea odorem gravem, nauseosum contraxisse observavi. Massa vero salis jam non tam facile fatiscebat in pulverem, sed in grumos aliquos non tam prompte vti prius solubiles, compingebatur.

21. Tribus hujus salis granis in poculo mundo, solutis in aqua affudi octo guttas olei tartari per deliquium. Color nascebatur primum albicans, postea lactescens & aliquomodo olens: solutio tamen difficillime processit, nec effervescentia visa est. Praeterquam quod bullulae quaedam adparuere, quae non multo post evanescebant. Solutio tamen salis non fit integra vel post triduum, sed sal indissolutum, & in grana quasi collectum manet. Cum Spiritu salis ammoniaco fere idem fit, nec sal in eo se perfecte solvi patitur.

22. Sumsi rursus tria grana ejusdem salis, quibus guttas sex Spiritus Nitri affudi, verum

vix

vix hic liquor ſalem attigit, fiebat ſtatim vehe mens efferveſcentia, cum ſibilo & ſpumis naſ- centibus. Exortae ſunt bullulae, quae diu valde durabant. Solutio intra minutum vnum fiebat adcurata. Odor ſolutionis eſt gra- veolens foetidus. Poſtquam ſolutio ſalis to- ta facta eſt, & cuncta in quiete ſunt, tunc de- mum hinc inde circa margines poculi, color albicans quaſi calcis, conſpicitur.

23. Cum aqua forti vulgari, ſi ſal hoc miſcetur, efferveſcentia fit ingens, ſubitanea; ſolutio fit perfecta: ac inſtar glutinis, abit in maſſam tenuem, qualis ex aqua & farina con- fici ſolet paſta, ſi non valde magna quantitate affunditur aqua fortis. Quodſi huic ſolutioni rurſus aquam fortem adfundis, paſta illa ma- net, nec ſolvitur, ſed vitro vti gluten vel pa- ſta adhaeret. Odor ſolutionis fere non alius, quam aquae fortis ſentitur.

Aliquot granis ejusdem ſalis oleum vitrioli affuderam, ſtatim fiebat efferveſcentia cum ſpu- ma, ac ſolutio ſubitanea, odor graveolens cum aliquo foetore. Solutio vero facta fuit perfe- cta & accurata intra quinque minuta horae.

24. Cum ſolutiones hae aliquamdiu ſte- tere, adparuit materiam aliquam, quaſi pulveres calcis ad margines ſolutionis ex ſingulis excu- ti, praeterquam quod in ſolutione cum oleo vitrioli inſtar tenuis fili, pulviſculus ille in ſu- perficie haerere viſus eſt.

25. Cum ſyrupo violarum mixtus hic ſal, colorem illum gratum violarum perdit, & ſo- lutio vehementer albicat, quaſi multum cretae fuiſſet ſolutioni inſperſum. Imo in ſolutionis

ini-

initio ſic ádparet, quaſi omnis ille liquor, in cretam vellet converti.

26. Acui magneticae admotus hic ſal in ea motum aliquem excitavit lenem, ita vt cum ex vicinia acus ſalem chartae inſperſum removerem, acus ipſa motitabatur, etſi nec a vento, nec ab alia vlla re ſollicitaretur.

27. Quoniam acida ſyrupo violarum permixta colorem rubrum, alcalina vero colorem viridem inducunt, experiri volui, quid ſal ſolutionibus his injectus efficeret. Poculo vitri infudi aliquid de ſyrupo violarum, cui paucas guttas Spiritus Nitri affudi, naſcebatur color rubicundus; huic ſolutioni injeci pauxillum ſalis, ſtatim effervescentia fiebat aliqua, poſtea ſal ſolutum eſt, color vero ruber, jam valde ſubtilis reddebatur, & ſaturatus ille ruber color evanuit; verum tenuiter ſolum rubeſcens, ſolutio viſa eſt. Alteri poculo rurſus infudi ſyrupi violarum portionem aliquam, cui paucas guttas olei tartari inſtillavi: facta permixtione, ſic color natus eſt virideſcens. Huic injeci tantillum ſalis, ſtatim viror magis exaltabatur, & color virideſcens magis ſaturatus adparuit, ſal autem inſtar pulviſculi haeſit praecipitatus in fundo poculi, & quidem indiſſolutus.

CA-



CAPVT V.

De Principiis, quae in Thermis Varadienſibus continentur.

§. XXIII.

Ex his igitur tentaminibus chemico-phyſicis inter ſe comparatis, veritates certiſſimas elicere licebit, ita vt id ſimul etiam dilucescat, quaenam principia hae aquae in ſinu ſuo foveant? Quoniam omnis odor naſcitur a principio pingui, vel oleoſo, ſeu φλογιςῷ, atque ita ſulphureo ſubtili ac penetrantiſſimo in minimas partes ſolubili, hinc adparet, huic aquae ineſſe phlogiſton, ſeu principium inflammabile oleoſum tenuiſſimum. Cave putes, me nomine ſulphuris maſſam aliquam ſulphuream vulgarem intelligere. Verum dum SVLPHVR nomino, principium intelligo inflammabile, ſubtiliſſimum, pingue, oleoſum; id quod in omnibus corporibus odorem efficit. Illa enim corpora, quae nullum tale principium oleoſum, volatile ſeu ſubtile ſulphureum habent, omnia ſunt fatua, & odoris expertia. Quamquam odor ille non aliter quandoque, quam tritu, frictione, igne, combuſtione &c. innoteſcit. Non habent ergo hae aquae ſulphur vllum crudum. Et tamen ſi veteres Phyſicos audias, illi docebant omnes omnino thermas, ſeu fontes calidos, copioſo tali ſulphure abundare.


Odor

Odor nempe ille graveolens, & aliquomodo ſulphureus, qui in fontibus medicatis obſervatur, omnes illos in errorem induxit. Atque hinc fit & hodie, vt non modo indoctum vulgus, ſed etiam alii, qui ceteroquin in aliis diſciplinis ſatis docti ſunt, ſed veris principiis Phyſices imbuti non ſunt, ſibi firmiter perſuaſerint, in omnibus thermis magna copia adeſſe ſulphur; & quidem tale, quod propolae, pharmacopolae & alii in foro vendunt. Fruantur illi hoc ſuavi luſu ingenii ſui per nos licet. Verà principia Phyſices, ſi non hos, ſaltem eorum poſteros meliora docebunt. Sulphur Chemicorum enim nihil aliud eſt, quam acidum, corpori oleoſo nuptum. De qua re poſtea copioſius dicemus.

§. XXIV.

Volatile vero eſſe hoc fluidum, in his aquis hoſpitans; id ſatis oſtendit, quod graveolens ille odor, non modo circa caveas fontium, ſed etiam extra domus ipſas ad diverſas diſtantias naribus ſentiatur. Particulas odoratas magna copia ex fonte ſurſum propelli, inde adparet, quod non modo gravedinem capitis excitent; ſed etiam homines debiles, infirmi, & inſueti, ſi prope ad caveas vacuo ventriculo diutius ſtent, tum ventriculus eorum ad vomitum ſollicitetur, quin nonnulli etiam in deliquium animi incidant. Novimus enim ex principiis phyſiologicis, illos qui morbo hypocondriaco vel hyſterico laborant, a corporibus illis

illis, quae copiosum odorem spargunt, diverso modo adfici. Imo & illi omnes, qui sensus exquisitiores habent, & quorum nervi facilius a corporibus fluidis, odoris adtinguntur. Tales sunt phtysici, hectici, ac nimium macilenti. Hi omnes a grave olentibus male habent. Multi sunt, qui florum tuberosarum, alli, liliorum, rutae, &c. ac aliarum plantarum odores, ne in domibus quidem ferre possunt, statim enim caput eorum a tali odore copioso tentatur, molesto sensu turbatur. Id quod fit propter exquisitissimum nervorum sensum, & fluidi nervei in his hominibus motum, valde irregularem. Non mirum proinde, si & Thermarum harum odor, vel exhalatio grave olens illos effectus edat. Ita cum EPERIESSINI Anno 1761. Mense Iunio ad acidularum fontes me contuli, tum ad marginem foveae illius latae substiti, ex qua aqua hauritur pro balneo calido parando, vt postea homines in cadis se lavent in aqua calida. Cum me paullulum inclinavi, vt serpentes deorsum in fovea reptantes observarem, tum vapor ascendens ex fovea, ac ejus odor sic statim caput adfecit, vt titubare inciperem. Fui enim jejunus, vacuo vantriculo mane. Quare pedes a margine putei lati retuli.



§. XXV.

Praeter illud fluidum odorum, aliud insuper in hoc fonte principium subtilissimum, volatile habetur. Quum enim aqua ex ipso fonte vitro mundo hausta, purissima, limpidissima, vbique clara, seu diaphana sit; etsi superficiei internae vitri, instar globulorum infinitorum vel puncturae aciculae, copiosissime exiguae bullulae aquae adhaereant, nullusque color adpareat, praeter colorem purissimae aquae naturalis, tamen mox post aliquot momenta horae, limpidus ille color aquae perit, & sensim ad colorem coelestinum caerulescentem vergit; nec color aquae naturalis & claritas, sua sponte unquam redit. Non amplius igitur aqua tam clare ac eleganter, vti ante perlucet. Odor quoque ille subtilis & nares feriens, post aliquot minuta horæ prima, sic diminuitur, vt post duas horas fere evanescat, & nonnisi aliquis odor lentus & aliquantum ingratus maneat. Hoc est illud fluidum subtile, in quo ex parte VIS MEDICA aquae huius salutaris consistit. Celebris Hallensium Medicus FRIDERICVS HOFFMANNVS fluidum hoc appellabat, *fluidum aethereum.* Materia, inquit, aetherea, mobilissima, tenuissima, constans ex elemento fluidissimo elasticae & expansivae virtutis. Opuscul. Physico-Medicor. Tom. IIdo de elementis aquarum mineralium rite dijudicandis & examinandis §. III. p. m. 10. & rursus §. IV. Multum diffident, inquit, aquae ratione spiritus, sive principiis. De nomine

fluidi

fluidi hujus subtilis nulli quidem litem movebo. At fluidum subtilissimum in aquis salutaribus hospitari, quod nullis vitris coerceri potest; ipsa experientia monstrat. Quamquam enim tales aquae medicatae, vitris infundantur quae illico subere, pice, membrana animalium madefacta, accurate clauduntur: attamen si aliorsum, inprimis ad loca dissita deferantur a fonte, vel diutius asserventur; tum non modo limpidus ille color aquae, sed & *vis medica* pro ratione temporis, item loci & deportationis, sensim perit. Atque inter alia, haec est hujus rei ratio, cur Medici suadeant aegris, vt aquas salutares, quibus vti volunt, ad fontes ipsos profecti potent.

§. XXVI.

Aquam esse medicinam vniversalem, jam ante nos, idem HOFFMANNVS, modo a nobis laudatus evictum dedit. In hoc igitur & aquae harum Thermarum VARADIENSIVM, prae aqua vulgari salutares censeri debent, quod sint hae leviores, & eo tempore dum ex fonte hauriuntur limpidiores, clariores, puriores. Ergo non modo in duobus illis principiis de quibus §. 24, 25. dixi; sed etiam in aqua ipsa, vis medica fontis consistit. Quare cum aquae horum fontium ex consilio Medici alicujus, justa quantitate & tempore praescripto copiose potantur, tenuissimos & subtilissimos quosque canales corporis, facillime subeunt. Non aliud vllum remedium facilius vascula mi-

nima penetrat, aut infarctus & obstructiones viscerum, puta renum, hepatis, lienis, pancreatis, item tumores duros scirrhosos ac glandulas obstructas reserat, emollit, quam simplices & levissimae hae aquae salutares. Id autem non aliter obtinebitur, nisi prius superflui & non necessarii humores, ex corpore illorum exturbentur, qui his aquis feliciter vti volunt.

§. XXVII.

Praeter memorata vero principia continet aqua nostra, *terram* singularem *calcariam*; quantitate tamen perexigua. Id nos docent experimenta illa, quorum ad §. XIX—XXII. mentionem feci. Talis autem terra calcaria, vi acida imbibendi, absorbendi, sordes detergendi gaudet. Quum igitur limpidissima & levissima aqua hujus generis terra medicata diluitur; fieri nequit, quin salutares effectus, si in vsus devocetur, in corpore humano monstret. Attamen non modo terra istiusmodi simplex, verum etiam SAL inter amplexus aquae nostrae soteriae haeret. Atque hoc inter caetera, virtutes praecipuas medicas hujus aquae constituit. Qua autem ratione, ex his aquis salem adeptus sim, id vero §. XXI. & XXIII. exposui. Ad quam autem classem Sal hoc, quod in his hospitatur referri debeat, id ex ante institutis experimentis ostendere difficile non est. Ex tentaminibus enim illis apparet, sal hoc ad genus medium seu neutrum pertinere; ita tamen vt plus omnino alcalini, quam

acidi

acidi in ſe hoc ſal contineat. Verum de hac re poſthac copioſius §. LXVII. dicturi ſumus. Ex iis igitur, quae ad §. XXIII. hucuſque dicta fuere, evidentiſſime patet: vires medicas harum aquarum ab his quinque principiis pendere; fluido nempe odore ſulphureo, item fluido ſubtiliſſimo incoercibili, qui nullis vaſibus capi aut coërceri poteſt, ſed cito avolat; nec non aqua puriſſima & leviſſima, denique ſale medio, ac tandem terra calcaria.





CAPVT VI.

De Salibus in genere.

§. XXVIII.

Quoniam vero pauciſſimi ſunt ex Hungaris noſtris, qui de SALIVM natura ſcripſiſſent, neque libri de Chemia ſcripti, ita vbique in Patria noſtra obvii ſunt, vt Lector ſcientiae naturalis cupidus, eos ſi indicentur & deſignentur, conſulere poſſit: hinc pauca de natura SALIVM huic libello interſpergere volui. Hac enim ratione id fiet, vt lector ſcientiae naturalis amans, ea facilius intelligat, quae de Sale medicato Thermarum Varadienſium §. XXI. & XXII. monui; & tandem infra Capitibus VIII. & IX. dicam. In hunc vero finem, nunc quidem novum laborem nullum ſuſcipiam; ſed ſolum LECTIONVM mearum Phyſicarum aliquam partem in brevi compendio exhibebo, quas ante hos XVIII. annos habui. Quum enim ex praelectionibus ex inſtituto publico in primis in PHYSICA, Inſtitutiones Philoſophiae Vniverſae IOANNIS WINCKLERI, Profeſſoris Philoſophiae in Academia Lipſienſi, diſcipulis meis publice enarrari deberent; jam ab anno MDCCXLIX. vſque ad MDCCLII. etiam genera & ſpecies Salium, ad ductum ejusdem Cl. Viri in primis ad §. 1356, 1357, 1358 & ſequent. explicare oportebat. Praelectiones illas, quas tunc in memoratos paragraphos ha-

habui; ita rogantibus Discipulis describendas jam tunc in manus tradidi, quas hodiedum plures ex iis habent. Illos §phos in recentiore editione Anni 1762. Lipsiensi ad §phos 1672 & seq, invenies.

§. XXIX.

Dum partes corporis alicujus firmi a se invicem disjunguntur, quod a fluido aliquo penetrante efficitur, hoc phoenomenon adpellatur SOLVTIO. Duo autem sunt solutionis genera. Alia solutio est *Mechanica*, quae fit motu, sed qui pendet a magnitudine partium corporis solventis, item earum figura, duritie pondere aut impulsu; ita tamen, vt partes solutae cum solventibus nullam adipiscantur cohaerentiam. Praeterea, vbi post solutionem peractam, pro diversitate partium corpora facile secedunt. Ita exempli causa, si violento igne fundis argentum, vel plumbum, & postea aquae infundis, nulla fit aquae cohaesio cum argento vel plumbo; sed secedit in granula si velis. Altera autem solutio dicitur *Physica* vel *Chemica*, dum corpus vnum, alteri methodo debita applicatum, hoc ita dividit in minutas partes, vt particulae corporis solventis, sint penitus intermixtae, inter partes divisas corporis soluti. Hoc modo sal solvitur in aqua. Hic enim partes solutae salis cum partibus aquae cohaerent, & aequabiliter manent intermixtae. Tale proinde corpus, quod alterius partes a se invicem disjungit, & cujus partes

ab eo viciſſim diſtinguuntur: *Menſtruum* appellatur. Si eaqua & menſtruum ſalis, acetum eſt menſtruum ferri. Aqua fortis omnia metalla ſolvit, excepto auro. Idcirco autem menſtruum appellatum, quod olim Chemici moderato & aequabili igne admoto, ad hoc aut illud metallicum corpus ſolvendum, ſpatio menſis philoſophi vel quadraginta dierum vtebantur; dum applicabant menſtruum ad corpus illud, quod cum eo, vel in eo ſolvere volebant. Hinc ſolvens hoc, deinde *ſolvens menſtruum*, tandemque vt compendio verborum vterentur, ſimpliciter *menſtruum* nominabant.

§. XXX.

Sal voco corpus, aqueo-terreum & in aqua ſolubile, quod igne fundi poteſt, ſi prius non avolet in auras, & quod hominis ſani guſtum eo ſenſu adficit, quem ſaporem nominamus. Terra haec, quae ſali vnitur, eſt materia vitreſcens; ſed quae cum aqua conjuncta ſal conſtituit. Atque haec duo principia id eſt, terra vitreſcens & aqua, ſal efficiunt. Caetera enim, quae accedunt, ſunt ſolum *adcrementa*. Quapropter vti omne ſulphur odorem, ſic ſal ſaporem habet, etſi in ſapore magna poſſit eſſe diverſitas. Omne autem ſal in ſuo *menſtruo* perfecte ſolvitur: quod nulla metalla habent, nec cum terra vnum corpus conſtituunt, vti Sal. Terrae enim omnes turbidam reddunt aquam, in eaque ſubſidunt, in filtro manent. Id quod tamen in ſolutione ſalis non fit. Haec igitur

tria

tria ab omnibus corporibus aliis ſal diſtinguunt; id eſt ſapor, ſolutio perfecta, & quod cum terra vitreſcente ſibi vnita, vnum corpus conſtituit.

§. XXXI.

Elementa autem Salium ſenſus omnes humanos fugiunt. Quoties enim id ſincerum, & ab omni alio corpore purum haberi poteſt, de globulis tam minimis conſtare videtur, vt ne optimorum quidem microſcopiorum auxilio, ſolitaria ejus elementa oculis obſervari potuerint. Quali proinde figura ſint praedita, vltima Salium elementa? id vero ne poſt microſcopia quidem inventa, certo dici poteſt. Imo poſtquam ſalia ſemel reſoluta ſunt, & in corpora illa, ex quibus coagmentata fuerant rurſus reſolvuntur; tum elementa ſalium redduntur volatilia, & in auras tenues diſcedunt. Vti haec quidem in deſtillationibus plantarum vegetabilium manifeſto liqueſcunt. Subtiliſſimi enim liquores, vel centies deſtillati methodo chemica, tamen centies in fundo veſicae, ſeu alembici cuprei vel vitrei vaſis, *terram* relinquunt, prius combuſtibilem & tandem *fixam*. Quae terra eſt vitreſcens, ſed quae cum aqua conſtituebat ſalem. Salia autem a corporibus illis, quibus ſe conjunxere, ſenſim avolant, vti & olea. Quum autem primordia ſalis in maſſulas majores coordinantur, quae tandem ſenſibus quoque noſtris obſervari poſſunt; tunc jam ſemper ſibi habent aliquid adnexum, quo

conjuncta & combinata retinentur in tali molecula, corpora quaedam peregrina. Talia autem corpora in primis ſunt Aqua & Terra, quibus tanquam vinculis injectis arctiſſime ſociatum diu retinetur ſal. Sic ergo corpora majora formantur ſalium. Vnde diluceſcit, vltima ſalium elementa, quas vires chemicas, vel medicas habeant? id quidem certo & clare definire non poſſe. Iam tunc enim, dum ſalia in moleculas majores concreſcunt, alia quoque corpora peregrina ſimul in ſinu ſuo habere ſolent; vti nunc ſtatim fuit viſum. Vbi tandem igitur in corpuſcula majora compoſita ſalia concrevere, tunc demum de iis aliquid certi dici ac ſtatui poteſt.

§. XXXII.

Ex iis autem quae §. praecedenti expoſui, manifeſte adparet, quid de iſta ſubtili ſalium generatione, figura, ſitu, ortu, ſapore, poſſibilitate ſolvendi, crepitatione ſi in ignem conjiciantur, friabilitate &c. ſentiendum ſit? quae Geometra praeſtantiſſimus CARTESIVS magno labore congeſſit, ac ſubtiliſſime philoſophatus fuit. Fingit is cuncta ex cerebro proprio, quae tamen experimentis & obſervationibus firmari poſſunt nullis. Id autem in naturae phaenomenis, in Philoſophia explicandis, admodum familiare fuit acutiſſimo CARTESIO, vt ea ſumeret principia, quae oculus non vidit, auris non audivit &c. Longe major Philoſophus futurus, ſi methodum mathematicam pro VE-

RI-

RITATE etiam in corporibus invenienda; quantum fieri poteſt adhibuiſſet. Atque hoc illud eſt, quod immortale nomen NEWTONO procuravit. *a*)

§. XXXIII.


Sal ſimplex eſt vel *acidum*, ſeu maſculinum: vel *alcalinum* ſeu femininum: vel *neutrum* ſeu hermaphroditum, quod alias dicitur medium; id eſt nec acidum, nec alcalinum, ſed quod de vtriusque natura participat. Salia autem *compoſita* ſunt, vti ſe habent corpora illa adjuncta, peregrina, quae ſalibus adcrevere; nempe per aquam terrae vitriolaceae, vel metallicae, ſeu foſſiles, vel aliae calcariae.

Diſtingui proinde poſſunt ſalia in has ſequentes claſſes; 1) *Alcalina fixa*, vel *volatilia*. Et quidem nativa foſſilia, quale eſt Nitrum, ſeu Natrum noſtrum ſaponarium Debrecinenſe. Item qualia ſunt ſalia vegetantia nativa, quae fiunt ex plantis. 2) *Acida vegetantia*, quae vel fermentant, vel fermentata ſunt; nec non quae combuſtione vel deſtillatione parantur. 3) *Acida foſſilia*, nativa, vel parata accenſu, aut deſtillatione. 4) Sunt ſalia *neutra*, ſeu *media*. Horum alia ſunt nativa, vti ſunt borax, ſal foſſile, ſal gemmae fontium. Vti apud nos in Hungaria prope ad EPERIESINVM, in vico SO-VAR, qui ſale ditiſſimos fontes habet, vnde magna copia ſal commune fontanum excoquitur.

---

a) Carteſius cap. 3. de Meteoris, item in Princip. Philoſoph. Part. IV. §. 66, 67, 68, 69.

quitur. Item ſal marinum, ſal ammoniacum, quin & nitrum. Non ſum neſcius Cl. LINNAEVM nitrum appellare ſal eſſentiale acidum. Syſtem. Tom. III. §. 13. p. m. 84. contra quem Ill. BOERHAVE docuerat in Chemia ſua, Proceſſ. 128, 134 & alibi: qui nitrum, nec alcalinum, nec acidum eſſe, experimentis oſtendit. Alia vero dantur ſalia neutra, quae arte parantur; vti ſal Polychreſtus, ſal mirabile Glauberi &c. 5) Tandem ſunt alia ſalia, quae ex his ſimplicibus componuntur. Sal vero FIXVM vocatur id, quod igne tractatum permanet: VOLATILE autem, quod in igne avolat. De horum diverſorum ſalium proprietatibus ſingillatim agere, vt horum vera indoles, natura cognoſcantur; item quid vnum quoque horum ſalium ad corporum ſolutiones conferre poſſit? nec non quae ſit actio ſalium in corpora alia? id vero ad inſtitutiones Chemicas pertinet. Taceo de actione ſalium in corpora humana; hoc enim in ſcholis Medicorum per longa experimenta diſcitur. Nos vero pauciſſima, quae ad ſalis iſtius in thermis VARADIENSIBVS hoſpitantis, item ſalis Noſtri SAPONARII Debrecinenſis naturam cognoſcendam propius ſpectant, adtingemus. Id tamen ea cum adcuratione fiet, vt Phyſices amans, ac rerum naturalium ſtudioſus, his paucis cum cura & adtentione diligenti perlectis nec ea ignoret, quae in genere ad naturam ſalium intelligendam faciunt.

SECTIO I.

DE SALE ALCALINO.

§. XXXIV.

SAL ALCALINVM has dotes ac ſigna propria habet. 1) Quando guſtatur lingua, ſaporem ei imprimit, cum ſenſu acrimoniae vrentis, & quidem igneae, atque ſimul guſtum, vel ſaporem ingratum, quaſi vrinoſum excitat. 2) Si olfactu experiamur, tum odor iſte vrinoſus in alcali volatili eſt acrior, in fixo autem mitior. Sed cum nihil heterogenei admixtum habet, tunc nullum ſpargit odorem; verum ſimulac corpus aliud adtingit, quod alcali volatile cum acido junctum habet; quod tamen hucuſque prorſus inodorum fuerat, nunc ſimulac illud adtingit alcali fixum, ſtatim foetorem excitat. 3) Omne ſal alcalinum, ſi acido vero permiſcetur, etiamſi ambo illa corpora, quae miſcere vis, ſint frigidiſſima; tamen in mixtura ipſa ſtatim efferveſcit. Poſt commixtionem vero alcalina ſalia perfecte ſe vniunt acidis. Atque deinde haec compoſita maſſa novum genus efficit ſalium, quod vocant *Neutrum*, de qua re poſtea. 4) Syrupum violaceum, cui jam ſalem acidum miſcebas, & per quem ſyrupus violarum rubicundi coloris factus eſt, ſi alcalinum ſalem injicias ac miſceas, tum ſyrupo huic

co-

colorem viridem inducit. Si autem alcali ſit fixum, purum, & miſceatur cum ſucco roſarum, violarum, aut heliotropii tricocci: tum ſal hoc mutat ſtatim colorem horum, & quidem ex colore virideſcente naturali in caeruleum. 5) In aere humidiore penitus deliqueſcit, id eſt, ſal redditur humidus & aqua madidus. Et quamquam ſal hoc alcalinum ſollicite adſervetur vaſe clauſo in vitris; tamen non manet diu ſiccum, ſed fit humidum; quia ex aere aquam ſibi adtrahit. 6) *Salia* alcalina, ſi corpori adplicentur calido, quod humidum exhalat, tunc in corpore brevi producit inflammationem; haec poſtea ſemiuſtionem cineritiam creat, & deinceps ſequitur putredo, ac tandem ejus individuus comes, mors. 7) Haec ſalia vim habent fortiſſimam detergendi, ſordes emaculandi, eluendi: quod in ſalibus *Neutris* inveniri nequit. Salia proinde alcalina aptiſſima ſunt pro ſaponibus, cum aliquo corpore pingui, ſi huic illa jungantur.

§. XXXV.

Quamquam autem ex herbis ope combuſtionis, & lixivii ſales alcalini haberi poſſint: attamen non omnes plantae ad id aptae ſunt. Ita illae plantae, quae acrem ſpargunt odorem, & quarum odor cum nares ferit, fere lacrymas elicere ſolet, ineptae ſunt ad ſalem alcalinum fixum producendum. In iis enim latet ſal volatile, quod ſtatim diſſlatur, ſimulac iis ignis comburens admovetur. Tales ſunt inter alias

plan-

plantas alcalescentes, vti allium, caepae, raphanus, nastuurium, porrum, sinapi, cochlearia, & caeterae plantae antiscorbuticae. Cineres harum plantarum fere insulsi sunt. Alcali igitur fixum ex cineribus, elixationis ope adquiritur.

Alcali autem CINERVM CLAVELLATORVM, vt vulgo vocantur, magna copia pro lanis tingendis & coloribus panno inducendis, in patria nostra parabatur olim, in grandioribus sylvis, vti Bacuntia, Matra, & alibi passim. Conficiuntur ex arborum viridium ramis, truncis, vti abietis, pini, quercus, ilicis &c. Harum ingentes pyrae intra effossas in terra foveas deponuntur; postea incenduntur, dum in cineres dilabantur. Cineres deinde cribrati, postea in lebetibus grandibus excocti, cum aqua tandem collati, evaporatione exsiccati, calcinati, colore subcaeruleo in dolia sicca repositi, adpellantur: *Cineres Clavellati.* Ita autem vocantur, vti jam Ill. BOERHAVIVS adnotavit, quia de lignis *in clavas*, vel frusta scissis, parantur, vt eo aptiores sint foco. Vnde factum fuit nomen diminutivum *clavula* postea barbare appellata *clavella.* Hoc modo igitur paratur illud sal, quod Mercatores vocant *Potasche* v. Potasche, hoc est *Cineres ollarios.* Hi cineres ante aliquot annos ex patria nostra magna copia in Germaniam, quin & Hollandiam, Helvetiam exportabantur. Nec tamen hoc modo paratum hoc sal alcalinum purum est: sed multa habet peregrina admixta. Qua ratione autem illinc sal heterogeneum separari, & sal hoc depurari debeat, & possit; ita tamen

men, vt ne minimum ex ſali alcalino excutiatur: id vero in Lectionibus chemicis docetur. In operationibus enim ſenſibilioribus nunquam Chemici cineribus clavellatis; tuto vti poſſunt niſi prius rite a ſalibus heterogeneis depurent. Id vero monuiſſe ſufficiat, regulam generalem haberi: *quo planta plus acidi fixi, & materiae inflammabilis habet, eo aptior eſt fundendo alcali fixo.* Tolle enim ab iis Spiritum acidum, vel phlogiſton; tum ſi reſiduum cremes perparvum ſalis exhibebit. Nunquam adquiris alcali fixum, ſine phlogiſto. Si enim ignem vaſibus clauſis admoves, carbo fiet, ſed nihil alcali fixi: ita quidem, vt alcali fixi, quaſi genitor ſit ignis, qui id generat. Et quanto ignis adhibitus eſt acrior: hoc & alcali fortius. Vnde liquet alcali fixum naſci, ex fixiſſima acidi parte, item phlogiſto, ſeu principio inflammabili, & materia terreſtri. Et quoniam in bituminibus deeſt principium terreſtre, ex iis nullum adquires alcali. Igne igitur admoto ad plantas, omne aquoſum, oleoſum, ſpirituoſum & volatile diſſipatur; tum vero fixum, acidum & phlogiſton junguntur cum terra. Hinc fit deliqueſcentia alcali fixi in aëre. Trahit enim ex aëre ad ſe, id quod eſt aquoſum. Vnde alcali fixum, deliquium paſſum in aëre, abit in *terram* nulla aqua ſolubilem. Ex quibus manifeſtum eſt, terram concurrere ad alcali fixum conſtituendum; inſuper *Adtractionem* eſſe phaenomenon valde obvium in corporibus.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

At praeter *Alcali Fixum*, datur & *Volatile*: ſaporis perinde urinoſi, vti fixum: cum acidis efferveſcens, & quod praecipitationes facit corporum foſſilium: ſi illa in acido ſoluta ſunt: vti Mercurii, argenti, auri, cupri, & ferri. Horum ſolutionibus, ſi alcali fixum, aut volatile affundas: ſemper fit praecipitatio. Differt tamen alcali fixum & volatile, quoad proprietates ſiogulares 1) Odore. Volatile enim, eſt penetrantiſſimum. Fixum contra, fere odoris expers. 2.) Fixum in igne permanet: volatile avolat. 3.) Si alcali volatile, unitum eſt cum acido, atque adfundis fixum alcali: hoc ipſo fortius & potentius eſt. Haec igitur duo ſalia, facile ab inuicem diſtingues 1) Si omnes notas habeat ſalis 2.) Et quidem ſalis alcalini 3.) quod ſal validum & acrem habet odorem, & leniſſimo igne avolat: illud dices alcali volatile. At ſi caret odore, & in igne permanet: hoc fixum alcali eſt. Hinc merito quaeri poteſt, an natura generet in foſſibilibus alcali volatile? Id ſane adfirmandum videtur. Dantur enim marmora graueolentia, immo foetida: *ſuilla* dicta. Haec teſtantur, de ſuo alcali volatili, odore illo graui, quem ſpargunt. Idem confirmant inprimis, lapides Calaminares, qui in Sileſia, ex terra profunda eruuntur. Hi lapides, igni expoſiti: verum fundunt alcali volatile.

§. XXXVII.

Nec ad alteram proinde quaeſtionem difficilis futura eſt reſponſio. Num in regno foſſili nativum alcali fixum occurrat? Omnino. Nam corpora quaedam, quae alii pro terris habent: ſunt vera ſalia. Solvuntur enim in aqua: tum ſi filtrentur; tranſeunt per colatoria. Inſuper ſunt urinoſi ſaporis, ſi guſtantur. Ac denique cum acidis efferveſcunt; ſuccum violarum, colore vireſcente imbuunt. Tandem acidis mixta: haec praecipitant. Ergo ſunt ſalia, & quidem fixa foſſilia. Tale eſt *Nitrum* ſeu *Natrum* noſtrum SAPONARIUM: id eſt terra illa globoſa, cujus cum lixiuio, Saponarii noſtri ſaponem praeſtantiſſimum conficiunt. Sed de hac re poſtea. Non ſecus in Nitro, alcali fixum haerere: docet Nitri analyſis. Haec enim monſtrat, Nitrum, cum carbonibus igne detonatum: ab ire in materiam, quae in aëre deliqueſcit; ſeu fieri illinc *Alcaheſt Glauberi.* Cum tartaro, perinde poteſt Nitrum alcaliſari, & extemporaneus ſal tartari, deliqueſcens parari. Quin & Tartarum acidiſſimum, violento igne, in alcali fixum abire: apud Chemicos res notiſſima eſt. Ita etiam, ſi ſal commune; aut foſſile depuratum ſumas: eadem ratione alcaliſare potes, vti Nitrum; etſi non tam facile. Quia ſal vulgare, nihil fere habet inflammabilis; & acidum eius, arctius cohaeret cum ſua baſi fixa, quam Nitri.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Poteſt autem deſtillatio ſalis communis, foſſilis, vel gemmae fieri, cum oleo vitrioli: ſicuti cum Nitro agi ſolet. Ita ex gr. ſume ſalis communis, foſſilis, decrepitati, ſicciſſimi, puriſſimi, libram vnam. Tum immitte retortae vitreae: & deinceps lentiſſime ſuperaffunde olei vitrioli rectificati, uncias duodecim, & cum aquae puriſſimae quantitate aequali diluas. Poſtea adplica excipulum, & fac ut ex balneo arenae deſtillet. Augeto ignem, gradu valde lento; ſed perge ſenſim, donec illa incipiat candeſcere. Suſtenta hunc gradum ignis, eouſque, donec nihil amplius prodeat: tum id quod in excipulo habetur: eſt *Spiritus Salis.* In fundo vero, eſt *Sal albiſſimum mirabile Glauberi.* Fundamentum operationis eſt, quod acidum vitriolicum, a baſi fixa ſalis, excutit Spiritum ſalis; perinde, uti cum Nitro facere ſolet: & poſtea ſe cum baſi jungit: etſi baſis fixa ſalis foſſilis, alterius prorſus ſit naturae; quam baſis fixa Nitri. Illud enim eſt foſſilis naturae; hoc autem productum vegetabilium; vel animalium eſſe videtur: Operatio poteſt fieri & ſine aqua addita: ſed frequenter non ſine graui periculo. Id tantum de hoc acido ſalis admonebo, cum alcali fixo, vel vegetabili commixtum, uſque ad ſaturationem: tum regenerat ſalem communem; vel qui ad eum accedit. Praeterea ſal illud mirabile, eſt Neutrum; aliquid amareſcentis in ſe habens. Inſuper quod ſi ſal illud calcinetur, & deinde cum triplo aquae, vini, vel

cereuisiae misceatur: tum omnis ille liquor, in glaciem conuertitur. Quae dos insignis effecit, vt *mirabile*, & ab inuentore, Praestantissimo Chemico Germano, qui illud primus reperit: GLAUBERI vocetur. Sal illud vim magnam habet, trahendi aquam. Quare cum ea concrescit: uti fusio docet. Sal enim hoc fusum, duas tertias partes sui ponderis amittit: quae non nisi aqua est. Quare dum hoc sal, per calcinationem, aqua sua orbatur: non mirum est, si cum nova aqua adfusa, aut vino: quasi in glaciem concrescat. Postea autem si cum carbone, liquor ille misceatur: tum abibit in *hepar Sulphuris*. Atque hoc sal, inuenitur in quibusdam *aquis medicatis*, non modo *Acidulis*: sed etiam *Thermis*, immo & in aqua marina, ac vitriolo. Nec mirum. Quoties enim acidum vitriolicum, occurrit, alcali fixo fossili: toties cum eo in talem salem abit. At cum idem acidum, sali communi fossili occurrit; tum acidum hujus salis, tanquam debilius, excutitur ex sua basi fixa; & cum hac concrescens, acidum illud vitriolicum; deinde simile sal *Neutrum* constituit. Convenit vero hoc sal *Glauberianum*, celebri illi sali Anglorum EBSHAMENSI. Hoc ab Anglis paratur, ex sale communi, & vitriolo Anglico martiali. Atque ita quae sit ratio originis hujus salis: ex dictis facile adparet. Si enim sal commune, cum vitriolo destillo: tum accipio Spiritum salis. Id est acidum vitriolicum, in destillatione salis; expellit Spiritum salis, a basi sua fixa: atque ita, locum ejus occupat, & cum basi salis fixa concrescit; cum ea salis communis parte fixa se se unit; id est

cum

cum alcali fixo fossili, constituit apud Anglos *salem Ebshamensem*; apud Chemicos vero; salem *mirabilem Glauberi*. Quod autem de sale communi fossili dixi: idem verum est de sale fontano, marino &c. De virtutibus autem Medicatis istius salis, ex alcali fixo & acido compositi, seu *Neutro*: non est hujus loci dicere. Quomodo autem, si sali Ammoniaco, addatur Alcali fixum, & deinceps destilletur, ac ex ejus residuo paretur *sal febri fugus* SYLVII: Chemicis est res notissima. Id quod etiam est sal Neutrum, vel Medium, vti priora, sed de sale Neutro postea sumus dicturi.

SECTIO II.

DE SALE ACIDO.

§. XXXIX.

Veniamus nunc ad aliam Classem Salium, quae vocantur ACIDA. Sal acidum dicitur id, quod saporem & odorem acidum habet. Haec proinde sunt signa salis acidi. 1.) Si linguae aut palato admotum, saporem acidum, vel odor nares feriens; odorem acidum habeat. 2.) Si sal acidum, permixtum cum alcalinis, & corporibus terrestribus: etiam sine calore & igne admoto; tamen effervescat. 3.) Si syrupum violarum, aut succum heliotropii:

colore rubro inficiat. Has enim dotes habent omnia acida.

Acida forma ſolida, vix reperiri queunt: niſi in plantis acidis; vti acetoſa, trifolio &c. vel in lapide vini, ſeu Tartaro. Aromata multa, quin & ligna, uti ſaſſafras, cinnamomum, quercus &c. in ſe acidum latens habent. Id quod non niſi deſtillatione deprehendi poteſt. Ex acetoſa, poteſt haberi ſal acidus: ſi ſuccus plantae, fortiter expreſſus inſpiſſetur; poſtea coletur, & in cellas frigidas reponatur. Ita enim ſal acidum, cogetur in chryſtallos ſalinas. Fermentatio tamen, occultas vires in plantis haerentes, magis exaltat. Ita notum eſt, ex uvis dulciſſimis, praeſtantiſſimum parari acetum: poſteaquam rite, motu fermentationis deſpumabat. Imo & deſtillatione ex plantis eliciuntur acida ſingularia, oleoſa: ſi deſtillatio fiat vaſis concluſis. Sic ex ligno Gvajaci, Juniperi, Quercus; ſi haec in ſiccam ſcobem redigantur, & prudenter igne tractentur: adquiritur liquor limpidus, rubellus, valde acidus; aliquantum oleoſus, odore halecis, fumo durati. Vires hujus acidi: ſunt plane ſingulares. Humores enim in corpore humano adtenuant; corpora a putredine conſervant, condiunt, ſtimulant, putredini reſiſtunt, *urinas* & *ſudores* movent. &c.

§. XL.

Verum ad Claſſem acidorum pertinet, inprimis *Acidum Vniverſale*, ſeu *Catholicum* vagum, vbi-

vbique in Athmosphera dispersum: quod Chemici, sub nomine Acidi *Vitriolici* designant. Numerantur autem vulgo tria *Acida Fossilia:* nempe *Salis*, *Nitri*, & *Vitriolicum.* At acida fossilia, paucissima reperiri possunt. Nam suffocans ille halitus fodinarum, aut cryptarum, acido sulphureus: rarissime solus, aut forma humoris reperitur. Verum sal illud acidum Vniuersale, quoties solidis corporibus in natura occurrit; a quibus attrahi, & quibus se se vnire potest: tum sal illud figitur, & demum fit palpabile, cum illis corporibus quibus se vniuit. Haec demum acida, quae corporibus solidis se se vniuerant: nonnisi arte deinceps, ab iis separari, ac dignosci queunt. Acidum proinde salis, aut Nitri: natura non exhibet seorsim inter fossilia: sed aliter componit. Haec igitur non pertinebunt ad Salia acida Natiua. At acidum illud vniuersale vagum, *Catholicum*, in Atmosphera ipsa haerens, quod se se variis corporibus adplicat; varia producta efficit.

§. XLI.

Acidum ergo hoc sal, cum se pinguibus & oleosis corporibus unit: tum producit varias species *Sulphurum.* Si autem saxa calcaria rodit: tum concrescit cum his forma lapidea; & *Alumina* varia exhibet: prout diversas materias, saxa illa in sinu habent. Igne enim summo, debite tractatum, *Alumen* & destillatum: omni indicio, simile dat acidum sulphuri, & vitriolo. Idem ergo in his omnibus Acidum Vitriolicum

habes. Ergo SULPHUR Chemicorum, nihil aliud eſt; quam oleum, Spiritui acido nuptum.

Verum dantur *Salia Metallica*, vti Vitriolum, Arſenicum, Auripigmentum, Sulphura: quae ſingula ſibi adjunctum habent acidum Vitriolicum. Imo & bitumina, ſuccina, lithrantraces, ſeu carbones foſſiles: ſpiritum vitriolicum acidum exhibent. Id autem quomodo fiat: apud BOERHAVIUM Proceſſu 206. & ſeqq. videri poteſt. Horum ſingulorum examen inſtituitur: in Lectionibus *Chemicis*. Nos in compendio pauca DE VITRIOLO dicemus. Tria ſunt principia, quae vitriolum conſtituunt, ſeu componunt 1.) Aqua, 2.) Spirirus vel Sal acidus, qui aliis dicitur oleum vitrioli, vel Spiritus ſulphuris, & 3.) Terra metallica, vel *Terra Mercurialis*. Ita ſingulariter dicta a Chemicis: quoniam metalla igne fuſa, inſtar argenti vivi; ſeu Mercurii, fluida redduntur, & colorem argenteum exhibent. Vitriolum, alias vocatur Chalcanthum, ſeu *Atramentum Sutorium*. Inde vero hoc nomen habet, quod vitriolum, in vino, vel aceto ſolutum: dat Sutoribus & Cerdonibus atramentum nigrum; quo coria inficiunt, vel pingunt. Aqua in vitriolo pura eſt. Absque ea, pellucidum non foret, nec chryſtallizari poſſet: ſed aqua illa vitriolo unita, a vulgari nihil differt. In vitriolo igitur latet illud acidum vniuerſale. Si jam cum hoc acido jungatur cuprum, vel ferrum; ſive illud ſumatur ex ſulphure, ſeu ex alumine &c. illinc ars facit vitriolum.

§. XLII.

§. XLII.

Datur proinde *Vitriolum Martiale*, ſeu ferri: quod & *viride* dicitur. Sapore eſt adſtringente, ſeu ſtiptico: colore viridi: leni autem igne funditur. Nam ſi igne violentiore calcinetur: tum abit in pulverem, purpureo colore: & *Colcothar* vitrioli dicitur. Vitriolum proinde viride, cum infuſo vegetabilium adſtringentium, vti cum Cortice Ligni Cornus foeminae (*veress gyürüſa héjjával*, aut ilicis, ſuberis recenti & ſucco turgido: *atramentum* facit, ſi coquatur.

IIº.) *Vitriolum Cupreum* vel *Cyprium*, aut *Hungaricum*. 1º.) Sapore eſt nauſeoſo, urente, vel cauſtico. Hinc rariſſime uſibus internis, in medendo adhibetur: propter vim venenatam. Extrinſecus tamen, pro corroſivo habetur: vbi verrucae ſunt cohibendae. Nam ſi illae hoc vitriolo identidem fricentur: ſic fit lenta corroſio. 2º.) Colorem habet elegantiſſimum, ſaphirinum: quem in aqua ſolutum quoque ſervat: uti vitriolum viride, colorem vireſcentem. 3º.) Chryſtallos habet rhomboideas, vti prius: ſed igne majore opus habet, ad fuſionem: quam viride. 4º.) Si huic vitriolo ſoluto, immittitur Lamella ferri, vel bacillus ferreus, mundus, politus: tum ſuperficies ejus, cito cuprea fiet. Si autem dubitas, non ne vitriolum in ſe habeat cuprum: ſolve prius aqua, deinde immitte bacillum politum ferreum: tum ſi is cupro obducitur, ſaltem in aliquibus locis: ſic habes indicium cupri. Omne enim

cuprum, ſtatim praecipitari incipit, quando ferrum in acidi vitriolici viciniam venit. Hoc enim acidum, magis amat ferrum. quàm cuprum: hinc acidum ruit inſinum & amplexus ferri, & Cuprum dimittit. Tenent hanc artem praeſtantiſſimi Chemici: quomodo metalla ſoluta, ex menſtruis ſuis, excuti poſſint? Et niſi fallor, primus fuit Celebris Chemicus Pariſienſis GEOFROY, qui hoc arcanum, cum aliis communicauit. Id quod Leidae in praelectionibus Chemicis publicis, a Cl GAUBIO Anno 1748. me audiviſſe probe recordor. Tales *praecipitationes Chemicae*, quomodo fiant, ac ex menſtruis ſuis, qua ratione metalla ſoluta excuti poſſint? de hac re nonnulla monuit Celeb. MUSSCHENBROEKIUS Introductione ad Philoſ. Natur. Tom. 1. §. 1073. edit. Lugdun. Batav. Anno 1762. in 4to. 5o.) Cum infuſis vegetantium adſtringentibus: atramentum non facit.

IIIo.) Species tertia vitrioli eſt *mixta*. Nam natura, in vitriolo, vario modo miſcet ferrum & cuprum. Color ejus compoſitus eſt, ex caeruleo & viridi. Qua autem ratione detegatur. cuprum in vitriolo: ad Numeri praecedentis numerum 4. dixi.

IVo.) Habetur & quarta Species Vitrioli, quod vocatur *Album*. Hoc vitriolum, num ſit vitriolum Zinci, vel plumbi? non liquet. Aliquendo huic tantillum rubri intermixtum eſt. Si calcines & poſtea ſolvas aqua; ſolutio non manet alba. Cum tamen Martiale & Cupreum; ſervent colores ſuos, etiam poſt calcinationem.

nem. Dum aqua ſolvit vitriolum album, & poſtea levi igne ochram excutit; tunc ſapor ejus, eſt ex dulci adſtringens. Cum infuſo gallarum: atramentum facit: & ſolutioni, ſi laminam ferri immittis; hanc cuprea ſuperficie obducit. Si calx ejus flava, a calcinatione reſidua, cum Laminis cupri, in ſtrati formam diſponatur, ut ita fiat ſtratum, ſupra ſtratum; & igni exponatur: tum ex cupro, facit orichalcum; & ſic colore aureo imbuit. At hoc, nullum aliud metallum; quam Zincum facit. Ergo in Vitriolo albo, datur Zincum. Quare etiam calaminaris Lapis, eſt minera Zinci. Nam ſi cuprum, cum Lapide calaminari funditur: fit orichalcum. Non ſecus, ac ſi ſumas unam Libram cupri, & ei miſceas grana quinque Zinci; tum cuprum in orichalcum mutatur. *Zincum quidem*, fere ignotum metallum eſt Noſtris Hungaris' nec tamen dubito, quin apud nos, circa metalli fodinas, alicubi habeatur.

§. XLIII.

Acidum Vitriolicum, vagans vbique in athmoſphera, ſeu CATHOLICUM, & ſe variis corporibus adplicans, varia producta efficit. Nam

1°.) Hoc acidum eſt purum, concentratum, coloris expers: ſi debito modo depuretur. Hoc modo, ab acidis Nitri & Salis: facile diſtinguetur. Quod ſi huic acido puro, alienum corpus, vel adtractu accedat: ſtatim

co-

colorem fuſcum accipit; eſt mire ſenſile: hinc vix diu excolor, ſervari poteſt.

b.) Omnium acidorum, eſt ponderoſiſſimum. Quare Spiritus Vitriolicus: poſt Mercurium; eſt ponderoſiſſimus.

c.) Fixiſſimum quoque eſt, omnium acidorum. Nam alia, leni igne avolant, & fiunt volatilia: hoc habet vim, corpora alia Metallica, figendi.

d.) Acidorum omnium eſt fortiſſimum, cum ratione vis penetrantis; tum ratione vis menſtruae: ad metalla ſolvenda. Si denique acido alteri debiliori, hoc vitriolicum occurrit: tum debilius acidum, ex ſede ſua expellit, & ſe, cum ejus baſi unit. Id quod fit, cum acido aceti, Tartari, Salis. Hoc modo, levi negotio: pulchros ſpiritus, adquirere poſſumus.

e.) Aquae etiam eſt ſitientiſſimum; ita ut aquae purae permixtum, hoc acidum: incaleſcat. Quare ſi aëri Libero exponatur: pondus & volumen ejus augetur. Si autem ſubito ei adfundatur aqua pura: immanis naſcitur calor: ita ut vaſa vitrea diffringat, & naturam quaſi calcis vivae adquirat. Acidum ergo Vitriolicum: aquam ex aëre in ſe trahit.

f.) Mire amat phlogiſton, ſeu id quod principium inflammabile habet. Hinc ei ſeſe facile unit, & fit Spiritus fuſcus, etiam cum oleis ex coloribus. Si autem cum minore phlogiſti quantitate igni exponitur, & ſubtiliſſime adtenuatur: hac ratione *Spiritum Sulphuris volatilem* adquirimus; cujus odorem, vix quisquam mortalium, absque periculo ſuffocationis ferre poteſt. Si autem cum puriore phlogiſto jungi-

gitur, tum *Sulphur* nascitur: quod *Florum sulphuris* titulo adpellari solet. Atque haec proprietas: de nullo alio acido vera est. Quaecunque proinde materia phlogisti sumatur: cum acido vitriolico, semper *sulphur* nascitur. Hinc si corpus aliquod, cum carbonibus, in ignem ponitur, illudque postea sulphur exhibet: certi esse possumus, illic acidum vitriolicum adfuisse.

g.) Si hoc acidum, cum alcali aliquo fixo misces: tum cum eo amice coit; & facit postea singularem salem; qui chrystallinas particulas habet; & dicitur *Tartarus Vitriolatus.* Hoc autem Sal, distinctum est, ab omnibus aliis: quos cetera acida faciunt. Nam Acidum Nitri, cum alcali fixo vegetabili, vel athmosphaerico: facit ipsum *Nitrum.* Acidum vero salis, cum alcali fossili: facit *salem communem.* Etenim si Spiritus salis, cum alcali vegetabili miscetur: simile sal oritur, sali communi: attamen non idem *Sal.* Et id ab usu, in quem adhibetur; dicitur *febri fugum*: & quidem ab inuentore suo, *sal febri fugum* SYLVII. Vti id Illust. BOERHAVE Processu 107. in Chemia adnotavit. Non secus, si acidum vitriolicum, cum alcali fixo veget: misces: dat *Tartarum Vitriolatum*: sed alcali fixo fossili mixtum; dat salem mirabilem GLAVBERI. de qua re §. XXXVIII. dixi.

h.) Acidum Vitriolicum cum cupro & ferro, quae duo pulcherrime solvit, si conjungatur: facit vitriolum. Cum priore quidem sal perfecte chrystallizabile, sed *cyanei* coloris. Cum posteriore autem, sal verum chrystallizabile: sed *viride.* Non datur menstruum ullum, quod cum ferro ac cupro conjunctum, tam perfe-

ctos,

ctos, & ad Chryſtallizationem, tam exacta ſalia faciat? quam acidum vitriolicum. Hoc idem acidum, cum *Zinco* mixtum: odorem alliaceum ſpargit, ſi ſolvatur, & poſtea ſolutio, candela ſulphurata accendatur.

i.) Chemicus proinde, hoc acidum Vitriolicum, elicit ex triplici materia.

1º.) Ex vitriolo quod natura ipſa praebet. 2º.) Ex Sulphure. 3º.) Ex Alumine.

Ex quocunque igitur horum memoratorum corporum, acidum vitriolicum ſumatur: id erit ejusdem naturae. Hinc etiam nomen accepit: acidi Vniverſalis, CATHOLICI, vagi; aut etiam foſſilis. Quare ſolo alumine addito, & ferro vel cupro conjuncto: potes aeque bona vitriola facere; ſicut cum acido vitriolico. Et prout cum acido vitriolico; ita cum alumine, aeque pulchra, quam cum acido ſulphuris: potes ſulphura producere. Quae res manifeſta fit, in nonnullis mineris, uti pyritis: quae certa ratione tractatae, dant *vitriolum*, mox *ſulphur*, mox *alumen*, ita ut ex vno foſſili: tres ſpecies adquiri poſſint foſſilium. Atque ita, prout acidum hoc, cum metallo jungitur: cum phlogiſto facit *ſulphur*: cum terra calcaria, dum hanc rodit, dat *alumen*: cum Corporibus autem pinquibus, & oleis ſe ſe unit; tum producit varias Species *ſulphurum*; uti paulo ante §. 41. Igne enim ſummo debite tractatum alumen, & deſtillatum: omni nota, ſimile dat acidum ſulphuri & vitriolo. Idem ergo in his omnibus acidum vitriolicum habes.

k.) Hoc

k.) Hoc acidum vitriolicum purum, haeret:

1º.) In Athmoſphera noſtra copioſe diſperſum. Hinc merito nominatur *Vniverſale Catholicum*, & *Vagum*. Sed quia maxime res foſſiles, ſeu mineras amat: hinc plerumque in mineralibus corporibus. ſedem ſuam figit. Id quod tam immenſa quantitas ſulphuris, & aluminis, quae in natura reperitur: clariſſime docet. Quare & in cryptis ſubterraneis, ſpecubus, antrisque haerere videtur. At hoc acidum Vniuerſale, vagum Catholicum, in aëre vbique haerere: docent cineres clavellati; ſi hi diu ſerventur. Poſt diuturnam enim temporis moram; Cineres clavellati: naturam ſuam alcalinam, prorſus amittunt, & in Speciem Tartari vitriolati tranſeunt. Indicio certiſſimo: in Athmoſphera ſeu aëre, acidum vitriolicum haerere; hoc atrahi ab illis cineribus clavellatis; & hac ratione fieri *Tartarum Vitriolatum*. At hoc ſalis genus, nunquam in natura generatur; nec arte ulla parari poteſt: niſi alcali vegetabile, acido vitriolico vniatur. Haec ſola proinde Cinerum clavellatorum conſervatio: occaſionem dedit Chemicis, modum Tartari vitrìolati parandi. Hinc enim liquet, quod qualecunque aliud ſal alcalinum, aëri libero exponas, ac ibi relinquas: tum deprehendes, poſt moram paulo longiorem; illud ſal, in Tartarum vitriolatum abire. Praeterea illud etiam, indubia nititur experientia: fulgura & fulmina, imo & alia meteora, quae in Athmoſphera noſtra fiunt: odores ſulphuris accenſi ſpargere: quin etiam aedificia, hominesque fulmine tactos.

Quod

Quod teſtatur, acidi illius, quod in ſulphure eſt, praeſtantiam. Atqui acidum ſulphuris, idem eſt cum acido vitriolico: uti paulo ante monui. Ergo in Athmoſphera noſtra, vbique hoc acidum vitriolicum volare, vagari: extra omne dubium eſt. Equidem non ignoro, hodie multos, ex materia Electrica originem fulgurum, & fulminum derivare. Sed hac vice jam non id ago, ut materiam Electricam examinem. 2°.) In cryptis, cavernis, antris, ſpecubusque ſubterraneis, ſaepe haerent vapores, & halitus letiferi, & ſuffocantes: ita ut, niſi illinc nos ſubito proripiamus, perimunt. Vti ille ad KIS-SAROS prope ad Vrbem EPERIES in Comitatu Saroſſienſi. Vide in novis actis Phyſico Medicis Naturae Curioſorum obſeruat. Libr. II°. Johannis Adami RAYMANNI Medicinae Doctoris §. XXI. pag. 238. & ſeqq. In Scepuſienſi Comitatu dantur foveae, in ſuperficie terrae; in quas ſi columbae vel gallinae projiciantur: confeſtim exſpirant; etſi foveae vix unius, aut duorum pedum profundae & tottidem latae ſint. Id quod multi oculati teſtes, dum Eperieſini Anno 1761. commorabar, aliquott Perilluſtres Viri Graves, mihi expoſuere. Atque talia experimenta ſe frequentius inſtituiſſe narraverant. Verum ſimul addebant, in ejusmodi locis, vbi tales foveae ſunt: ſubitus rivos aquarum ferri; & non raro ſtrepitum aquae fluentis obſervari. Si autem homines, hujusmodi foueis inſiſtant: hos nihil noxae, aut mali, ideo expiriri debere, adfirmauerant. Quandoque autem tales halitus, ſine ſenſibili odore: venenati ſunt. Non nunquam vero,

ſunt.

ſunt odoris ſulphurei, ab acido nempe vago vniuerſali. Hoc acidum, ſi ſit Concentratius, & aëri miſceatur, tum per nares, aut os in pulmones inſpiretur, ſtatim ita contrahit aſperam arteriam, & pulmones, ut reſpiratio ſubito tollatur. Id aliquando Magno BOERHAAVIO in Laboratorio Chemico Leidenſi, ab acido vitriolico, quod vitrum disjecerat, accidit. Qui niſi ſubito forte illic praeſentem, alcalinum liquorem hauſiſſet, extemplo triſti caſu, mori debuiſſet. Cuius caſus ſpectator fuit EMMANUEL KOENIGIUS Profeſſor Medicinae Baſileenſis, eo tempore Boërhavii diſcipulus, qui haec nobis ſuis Auditoribus narrauerat. Atque ſubita illa ſuffocatio, quam fulmine icti ſubeunt, & confeſtim exſpirant, nonne viribus acidi vitriolici adſcribi debet? dum per id aër in pulmonibus contentus, quaſi figitur, ac etiam pulmo, elaſticitate priuatur, ac fibrae eius conſtringuntur.

3º. Acidum hoc vniuerſale vitriolicum, in atmoſphaera haerere, inde porro liquet, ſi lapides pyrites cum cura examinemus. Hi pyrites, cum ex fodinis eruuntur, nihil acidi vitriolici habent, antequam aëri libero exponantur. Verum poſteaquam illic diu haeſere, ſi arte tractentur, magnam quantitatem dant aluminis, vel vitrioli. Manifeſto indicio, in effoſſis iſtis pyritis, acidum illud vniuerſale nondum adfuiſſe, ſed poſtea, ex aëre, in illas debuiſſe inſinuari.

4º. Haeret Acidum hoc Catholicum, ſeu Vniuerſale, in aquis mineralibus. Hinc Ger-

manis dicitur *Caement* Waſſer. Tales forte ſunt fontes in Sylvania ad pagum ZOVANY, copioſo acido vitriolico divites. Vnde fit, vt qui ejus aquas modica quantitate bibunt, per ſuperiora & inferiora, vehementer purgentur. Sapor illarum eſt valde adſtringens, nauſeoſus, inſtar aluminis, de hac re ad § 1. ſcholion dixi. Cum autem natura toties ſponte vitriola Martialia generet, & in his acidum vitriolicum datur, per ſuperius oſtenſa: ergo vitriolum, pro *Matrice* ipſa, acidi *vitriolici haberi debet.* Atque haec Matrix etiam vulgatiſſima eſt Vnde etiam hoc acidum nomen ſuum vniuerſale tulit, ut a Chemicis acidum *vitriolicum* adpelletur, idcirco ſolum, quod in vitriolo hoc, acidum copioſiſſime inuenitur. Sic ſulphura, cum Antimonio Antimonium crudum cum plumbo galenas in natura exhibent. Nunquam fere, datur ferrum, ſeu matrix ferri, quin ei aliquid acidi vniuerſalis adſit.

SECTIO III.

DE SALE NEUTRO SEU MEDIO.

§. XLIV.

Tandem ſupereſt, ut de Sale *Neutro*, ſeu *Medio*, quod hermaphroditum vocatur, agamus. Salis communis tres ſunt ſpecies 1.) Gem-

Gemmae, 2.) Fontanum. 3.) Marinum. Purum ſal ad ſui ſolutionem, minus aquae requirit, quam triplum: ita ut tres drachmae ſalis ad ſui ſolutionem ſolum drachmas ſedecim aquae requirant. Si ſal commune in aqua ſufficiente copia ſoluatur, *Muria* vel *Myria* dicitur. Sal commune ex Muria ſua non excutitur vel ſub vehementi calore ebulliente, nec in frigore, niſi aquae quantitas diminuatur, ſalis communis ſolutione ſemel ſaturata aqua nec majorem, nec minorem quantitatem ſalis ſoluit. Cum tamen ceteri ſales, etiam ſi ſint ſaturati, ſi poſtea ad gradum Thermometri FARENHEITIANI. 60. calefacis adhuc plus ſalis, in iſtis ſolutionibus, ſolui poterit. Tum ſi paullulum refrigeres, deſcendendo vſque ad 32. gradum aquae, vis ſoluens decreſcet. Et dum aqua in glaciem concreſcet, tum ſal omne excutitur. Solum ſal commune ſic ſe non habet. Nam ſi ſal commune ſoluas, & ſolutionem ſatures, tum fac vt vaſe clauſo ebulliat; dein injice Cryſtallum ſalis: videbis omnino, Cryſtallum ſalis non ſolui, etiam in gradibus decreſcentibus caloris ad 32. niſi aqua concreſcat in glaciem. Inſuper quanto aqua eſt calidior, tanto majorem quantitatem aliorum ſalium ſoluit; non autem ſalis communis. Hinc patet, Myriam ſalis non niſi euaporatione, ad cryſtallizationem deduci poſſe. Ita ſi habes Nitrum, tum in aqua ſoluis, euaporas, poſtea in cellam frigidam reponis ad refrigerationem hac ratione chryſtallizatur. Sed ſal commune, aqua ſolutum, euaporatum, poſt in cellam poſitum ad refrigera-

gerationem, ne per centum quidem annos, cryſtallos dabit. Hinc non niſi ſub euaporatione cryſtallizari poteſt. Sal in ignem conjectum decrepitat. At nitrum in ignem projectum incenditur, deflagrat: atque ſi nitrum purum eſt, non decrepitat; Cecrepitatio enim eſt indicium ſalis. Sal ſemel decrepitatum non iterum decrepitat: niſi iterum in aqua ſoluas, filtres, exhales. Ergo decrepitatio non eſt à ſale; ſed potius ab aqua, & parte materiae aëreae, elaſticae, in ſalem incluſae. Si aquae forti injicias ſal commume, tum habebis aquam regiam, id eſt quae ſoluit aurum. Idem facit ſal ammoniacus

§. XLV.

Duo ſunt principia in ſale communi. 1.) Acidum ſpecificum 2.) Alcali foſſile. Num autem ſal commune, gemmae, fontanum, vel marinum, pro operationibus adhibeat Chemicus, res eodem redit, modo vti oportet, prius haec depurentur. In his eadem ineſſe principia, analyſis horum chemica oſtendit. Salis communis quantitatem aequalem ſoluit, cum aqua ebulliens, tum frigida. Nec calore igitur juuatur aquae vis ſoluens: nec frigore impeditur; congelatione ſola excepta. Dum quis Spiritum Salis fortem vult habere, prius oportet methodo accurata chemica decrepitare. *Analyſis ſalis fit*, cum experimentis oſtenditur, acidum, & alcali ineſſe ſali. Sume ſalis decrepitati ſicci, puriſſimi libram, tum immitte in retor-

retortam vitream: poſtea ſuperaffunde lentiſſime olei vitrioli rectificati vncias duodecim; cum aequali quantitate aquae diluas. Adplica excipulum, & ex balneo arenae fac deſtillationem, lentiſſime augendo ignem: Poſtea ſenſim ſenſimque augendo, usque ad ollae candefactionem. Tum ſuſtenta ignem eo gradu, donec nihil amplius prodeat. Sic quod eſt in excipulo, hoc eſt Spiritus Salis. Quod autem in fundo retortae manet, id eſt *ſal* albiſſimum *mirabile Glauberi.* Poteſt quidem operatio peragi, etiam ſine aqua: ſed vix ſine periculo ejus, qui experimentum inſtituit, & vaſorum quibus vtitur. Spiritus enim ſalis, eſt violentiſſimus, ita vt nullo fere luto ſe coërceri patiatur, quin perſpiret, ac etiam omnem adparatum disjiciat, etiam ſi vaſa fuerint capaciſſima. Et in apertione vaſis, multum ineſt periculi; nam vapor erumpens, ſic totum laboratorium occupat, vt illic vix reſpiratio fieri poſſit. Hinc varia adminicula ſunt excogitata. Quando ſine aqua fit deſtillatio, liquidum adquiritur, quod vaſis vitreis clauſis adſeruatum etiam poſt multos annos fumat. Sed vt cum aqua deſtillatus Spiritus ſalis fiat concentratus, & minus aquoſus, addi debet ei poſtea *rectificatio*: vt ita ſiquid acidi vitriolici, ſub prima deſtillatione tranſibat, id inde ſeparetur; ac etiam aqua à Spiritu ſeiungatur. *Rectificatio* ejus hoc modo fit: immittitur in retortam vitream ſal commune decrepitatum, accurate exſiccatum; circiter vna quarta pars, ratione Spiritus rectificandi. E. C. ad libram vnam ſpiritus, ſumantur tres, vel quatuor vn-

 ciae

ciae ſalis. Tum his affundo Spiritum Salis aquoſum, & ex balneo arenae deſtillationem facio leni igne. Sic prodit 1) Phlegma, & ſic omnis aqua adhibita: & quamdiu guttulae roridae apparent, non autem vapores albidi, tamdiu eundem ignem ſerua. Poſt vbi nihil amplius prodit, & omne phlegma excuſſum eſt, aliud excipulum admoue, & paullo fortiore igne, ad ſiccitatem usque deſtilla. Hoc modo obtinetur 1) dephlegmatus Spiritus 2) orbatur etiam acido vitriolico, ſi quod forte inerat; quia in retorta eſt Sal, in quo illud figitur. Sic per rectificationem, perfecte purum, & concentratum adquiris Spiritum. Phlegma nunc ſimplex aqua eſt.

§. XLVI.

Quando igitur ita inſtituitur *Analyſis Salis*, idque alcaliſatur, vti §. praecedenti viſum fuit; methodus quidem eadem fere eſt, qua nitrum ſolet alcaliſari: ſed operatio hic non tam facilis eſt. Sal enim nihil habet inflammabilis: hinc in igne nec incenditur, nec detonat. Inſuper acidum ſalis, ſimul cum ſua baſi fixa, longe arctius cohaeret, quam acidum nitri. Quare ad Spiritum Salis, à ſua baſi excutiendum, longe fortiore igne opus eſt, quam ad acidum nitri, a baſi ſua expellendum. Fundamentum operationis eſt, quod acidum vitriolicum, quod omnium acidorum fortiſſimum eſt; acidum Salis debilius, in ipſa operatione excutit. Vti etiam id cum Nitro facit, & cum

ejus

ejus basi fixa, sese conjungit. Mirum sane! Nam Nitri basis fixa, prorsus alterius naturae esse videtur, quam Salis communis. Haec enim est Naturae fossilis: illius contra plerumque nascitur ex plantis putrefactis, & sic ex corpore vel massa vegetabilium, nec non ex animalium humoribus putrefactis, item liquoribus vrinosis. Ex his igitur genita & nata, tantam duritiem habere nequeunt, quam illa, quae ex corpore fossili producuntur. Peracta operatione habes duo producta: alterum *volatile*, alterum vero *fixum*. Volatile acidum salis in retorta ascendit. Quod id peculiare habet, prae aliis acidis 1.) quod vna ejus pars sit volatilis, rarescens, se mire expandens, ac incoërcibilis vllo vase; quae operantem miro modo vexat, torquet, dum rimas claudere nititur. 2.) Pars altera ejus vim expansiuam non habet tam violentam. Quare aqua transiens primo id quod volatile fuerat in sale, secum abripit; ac haec pars gratum saporem acidum habet. Hoc jam a Medicis, in Febribus ardentibus prudenter vsurpari potest. Reliqua pars concentrata, fixior est. Liquoris seu Spiritus Salis color ille aurantius, quem habet in rectificatione ipsa, etsi nihil aquae addas, tamen excolor phlegma prodit. Ergo sub rectificatione, materiam illam coloratam amittit. Quare color hic aurantius non est Spiritui Salis proprius, vti color ruber Spiritus Nitri esse solet, nec deinceps fumat.

§. XLVII.

Id etiam notari debet, quod ex eadem quantitate Salis & Nitri, longe minus acidi haberi possit ex Sale, quam ex Nitro. Nam vbi ex Nitro habebis libram dimidiam acidi Spiritus Nitri: tum ex Sale, vix vnam tertiam partem Spiritus acidi Salis adquires. 2°.) Differt etiam acidum Salis aliquomodo ab illis acidis, etsi hoc sit verissimum acidum. Nam odor Salis, est pungentior quam Nitri. 3°.) Spiritus Salis cupro adfusus Solutionem exhibet viridem, virore graminis. Ita dum aqua fortis gravissimum colorem caeruleum solutioni cupri conciliat, huic solutioni, si acidum salis adfundis, color nascetur viridis, idque tam constanter, vt simulac solutioni cupri cum aqua forti factae adfundis vel phlegma, vel Spiritum Salis, illico fit coloris mutatio. Est proinde haec dos singularis Spiritus Salis acidi. 4°.) Cum alcali fixo, aut vegetabili, ad saturationem commixtus, regenerat salem communem, vel saltem illum, qui ad illum accedit. 5°.) Id autem maxime observationem meretur, quod Spiritus Salis aquam fortem, quae nihil aliud est, quam merus Nitri Spiritus, & argenti menstruum est, convertat in aquam regiam, seu menstruum auri, in quo aurum perfecte solvitur, ita quidem, vt in solutione, nullis microscopiis, vel tantillum auri deprehendi possit. Non secus, quam Sal, in aqua perfecte solvitur. Et tamen novimus, in nullo alio vllo Spiritu, vel liquore aurum posse

solvi.

ſolui. Quare Sanctus MOSES Propheta, qui vitulos aureos, ab *Arone* fuſos, in puluerem comminuit, ita vt potabile redderet, & adbibendum Israelitis porrigeret, talem artem nouit, quam hodie nullus Chemicorum tenet. Ex hoc praeterea experimento, Phyſices Studioſi, de his duabus rebus prorſus conuincentur 1) Corpora ſpecifice grauiora adtrahi etiam a ſpecifice levioribus. Vti in hac ſolutione aurum trahitur ab aqua Regia. Atqui aqua Regia ſpecifice levius corpus eſt, auro. Et tamen Doctiſſimus HAMBERGERUS Profeſſor Jenenſis, maximo Conatu id agebat, vt aliis perſuaderet: *Nullum fluidum ſpecifice grauius, adhaerere ſolido leuiori & viciſſim.* Hunc errorem pluribus experimentis confutauit MOUSSCHENBROEKIUS Introduct. ad Philoſoph. Naturalem Tom. 1. §. 1034. & ſequent. editione Lugdunenſi in 4°. Anni 1762. Vide etiam Hambergeri Elementa Phyſices § 159. Schol. 3. & §. 176.

2.) Dari reuera *adtractionem Corporum.* Aurum enim quod omnium Corporum cognitorum grauiſſimum eſt, ſic in aqua Regia diſſoluitur, & in ea ſuſpenſum haeret, vt per totam aquae maſſam diſperſum & ſuſpenſum haereat. Illinc enim rurſus aurum excuti poteſt. Aqua fortis vulgo à Pharmacopolis paratur ex vitrioli partibus duabus, & Nitri parte vna: LEMERIUS autem ex Nitri & Vitrioli albi praeparati ac calcinati, item argillae aridae partibus aequalibus, ſumendo ex ſingulis vncias triginta duo. Vide *Lemery* Cours de Chy-

mie Cap. XVI. Litt. G. p. m. 531. 532. Sed hæc de Spiritu Salis acido dixiſſe ſufficiat.

§. XLVIII.

Altera pars reſidua experimenti §. 45. adducti, quae in fundo retortae manſit eſt ſal mirabile GLAUBERI. Ita ab inventore Chemico Germano praeſtantiſſimo dictum. Iſtud autem ſal, hoc modo depuratur:

℞. Reſiduum a priore deſtillatione §. 45. crucibulo adcurate tecto immitte; tum funde per ignem funditur autem facile. Ita fuſum relinque, donec igne extincto ſponte refrigeretur. Fracto deinde crucibulo exime, ſolve hoc ſextuplo aquae adfuſo, ita ſolutum trajice per colum. Dein limpidum liquorem, vaſe amplo, leni igne exhala, ad cuticulae adparitionem vſque in ſuperfice liquoris. Tum repone in locum frigidiorem, puta cellam &c. Sic excutientur Cryſtalli priſmaticae glaciales. Si operatio rite peracta eſt, totum ſal concreſcit in Cryſtallos. Opus autem eſt fuſione; vt ſi aliquid reſidui eſſet acidi vitriolici, ſic expellatur igne: caue autem ſedulo, ne fuſioni iſti illabatur carbo, hoc modo enim cito in hepar ſulphuris abibit. Atque ſi juſto minor acidi vitriolici quantitas in illo experimento §. 43. adhibetur, tum idem hic contingit, quod cum deſtillatione Nitri. Hoc eſt, ſi minor quantitas olei vitrioli adfunditur Nitro, quam ejus vera proportio eſſe debet, tum in Retorta

quod

quod remanebit, pars ejus erit *Tartarus Vitriolatus*, pars autem verum *Nitrum manet.* Monebam liquorem illum, in quo ſolutio facta eſt; tamdiu in igne eſſe retinendum, dum exhalatio fit, donec in ſuperficie liquoris cuticula adpareat. Hoc enim eſt ejus rei ſignum jam ſolutionem ita eſſe ſaturatam, vt aqua ſuperflua diſſipata, Cryſtalli facile poſſint excuti in loco frigido. Idem igitur de aliis ſolutionibus obſeruandum, ſi ex iis cryſtallos, vel ſalia cryſtallina vis habere.

§. XLIX.

Sal iſtud mirabile Glauberi, eſt Sal *Neutrum*, vel *Medium*, habet aliquid amariuſculi ſaporis, & ſic aliquid nitroſi refert. Cryſtalli ſunt prismata plana perlucidiſſima; nec hoc ſal in igne crepitat, nec deflagrat, aut detonat, vti nitrum; inſuper cito liqueſcit. 2) Si calcinetur, & poſtea cum triplo aquae, vini, aut cereuiſiae miſceatur, omnis ille liquor, in glaciem vertitur. Atque haec eius ſingularis virtus id efficit, ut MIRABILIS diceretur, vti ante commemorabamus §. 45. Sal iſtud enim habet vim magnam in ſe trahendi aquam. Cum hac ergo concreſcit in maſſam vnam, vti fuſio ejus oſtendit. Nam fuſum duas tertias partes ſui ponderis amittit; quae non niſi aqua eſt. Hinc dum per calcinationem hoc ſal orbatur aqua ſua: prorſus non eſt mirum, ſi cum noua aqua adfuſa, aut vino quaſi in glaciem ſtatim concreſcat. A-

quam

quam enim in ſinus ſuos admittit, ac partibus ſuis vnit. 3.) *Si* cum carbone lignorum miſcetur, abit in *hepar ſulphuris*. Differt proinde a *Tartaro Vitriolato*, ſal hoc Glauberianum, quae differentia eſt in baſi fixa. In Nitro enim baſis fixa eſt plerumque, putreſcens vegetabile; hic autem baſis fixa eſt foſſile. Et hinc diſcimus, quod cum acido vitriolico, non in Tartatum vitriolatum, ſed in ſalem Mirabilem Glauberi abeat. Atque hoc eſt illud ſal GLAUBERI, quod etiam in nonnullis aquis medicatis, ſeu fontibus ſalutaribus, ſoteriis invenitur; immo in aqua marina, & vitriolo. Neque id mirum! Quoties enim acidum vitriolicum in natura occurrit alcali alicui fixo, foſſili, toties in talem *S*alem, GLAUBERIANO ſimilem, cum eo abit. At vero cum idem acidum ſali vulgari lapideo, vel communi occurrit, tum acidum ſalis, quod debile eſt, hoc fortiſſimum acidum vitriolicum de ſua baſi excutit, & cum ea concreſcens, conſtituit ſimile ſal.

§. L.

Conuenit proinde hoc ſal GLAUBERIANUM, Sali Anglorum EBSHAMENSI: quod ex ſale communi, & Vitriolo anglico martiali, paratur. Atque ita ratio originis hujus ſalis facile patet. Si enim Sal commune cum vitriolo deſtillo, ita accipio *S*piritum Salis. Nam acidum, quod in vitriolo eſt, id fortiſſimum eſt acidum, quod cum fixa parte

vitrio-

vitrioli se se vniuit. Hoc proinde fortissimum vitriolicum acidum, ope ignis violenti excussum, & separatum ex vitriolo, statim irruit in sal commune, hoc adgreditur, ac Spiritum Salis, qui debilior est, a basi sua soluit, tum expellit, & locum ejus occupat: deinde cum basi salis fixa concrescit in vnum corpus; atque ita cum parte salis communis fixa, idest alcali fixo fossili, constituit apud Anglos, sal Ebshamense; apud Chemicos vero Sal mirabile GLAUBERIANUM. Simile huic merito esse censuit Sal Neutrum, vel Medium SEDLICENSE Celeberrimus Hallensium Medicus FRID. HOFMANNUS in Examine Chymico - Medico fontis Sedlicensis amari, in BOHEMIA nouiter detecti, §. 3. & 8. „ Quum vero inquit, hoc sal, & sapore & virtute proxime accedat ad illud, „ quod Ebshamensis nomine venit: non abs „ re fore puto, si prius hujus, breuibus mentionem injiciam &c. „ In quos usus Chemicos, sal Neutrum seruiat, in solutionibus metallorum? non est hujus loci dicere. Id vero de vsibus medicis dixisse sufficiat, Salia Neutra inseruire loco purgantium blandissimorum; quae sine magna vi in corpus humanum agunt, cum prudenter, & suo loco, a Medicis prudentibus, talia Salia Media, seu Neutra adhibentur. Interno vsu Salia Media vel Neutra, quale est Glauberianum, leniter stimulare, vrinam pellere, aluum mouere, resolvere, jam Magnus BOERHAAVE in opere Chemico Part. 3. Processu 145. p. m. 360. adnotauit.

CAPUT

CAPUT VII.

De Salibus Fossilibus Nitri, & Alcalini Saponarii.

§. LI.

Quoniaam vero circa hanc Ciuitatem nostram DEBRECINENSEM, nec non in circumjacentibus pagis, vti *Monostor - Pàlyi, Vértes &c.* magna copia colligitur & excoquitur NITRUM, operae pretium me facturum putavi, si naturam Salinae istius terrae, quam in regione hac campestri, non modo Excoctores lixiuii Nitri; sed etiam Saponarii Nostri Debrecinenses, ex superficie terrae, in cumulos & aceruos verrunt, ac colligunt; diligentius examinarem. Si solo oculorum judicio vtaris, crederes omnino vtrumque cumulum terrae, ita a Nitrariis, aut Saponariis collectum, ejusdem esse naturae. Terra enim colligitur, ex loco humili depresso, atque vbi aqua pluuia facile stagnare potest. Plantae, quae illic crescunt sunt sterilissimae, humiles, rarae, & alcalescentes. Hac si a superficie terrae ligone, vel falce purgatoria & verrente abradantur relinquitur superficies terrae pallida, flauescens, mollis, sabulosa. Haec superficies, dum calore solis, ac per ventos calidos exsiccatur, facile a reliqua massa terrae se abradi & colligi patitur. In aliis autem locis similibus, dum inter-

interdiu ſolis calor ſat magnus eſt, nox vero & aurora, rore deciduo diues ſubſequitur; tum ſuperficies terrae, ſic falce abraſa, vel ligone purgata, adplanata, extollitur in grumos, glebulas, tubercula, quae interea dum ros in gramine durat, ſcopis admotis, in cumulos coaceruatur. Id fit in campis noſtris Debrecinenſibus verſus Meridiem; item in *Kis-Pirts*, *Hoſſu-Pályi Kis-Marja*, *Konyár*, *Deretſke*. Hoc molle ſabulum, ac terra puluerulenta ejusdem naturae exiſtimari poſſet. At Nitrarii in Monoſtor-Pályi & Vértes illinc lixiuium parando, Nitrum praeſtantiſſimum accipiunt. Contra vero Saponarii Noſtri ex ſua puluerulenta terra, lixiuium conficiendo, dum hoc adipi vel pinguedini conjungunt, & aliquid calcis ac Salis communis admiſcent, poſtea ſimul coquunt; hac ratione *Saponem* albiſſimum, optimum nanciſcuntur.


§. LII.

Dum terram ſabuloſam nomino, tum terram mollem, puluerulentam, aut in pulueres ſua apte fatiſcentem, facillime friabilem, albeſcentem vel flaueſcentem intelligo. Talis terra ſabuloſa cingit Ciuitatem noſtram, verſus Orientem & Meridiem: immo & loca §. praecedenti memorata, in ſimili terra ſita ſunt. Aliquoties terram hanc, vel ſabulum, Hungaris HOMOK vocatum, microſcopio adhibito, diligentius examinaui. Conſtat hoc, ex minimis particulis duris, lapidem referentibus, hinc inde ſplen-

den-

dentibus, angulofis inftar particularum impurarum vitri, in fruftula minima diffractarum, aut galenarum: ac tales particulae fplendentes fabuli, voluminis alicuius, puta pollicis, vel pedis in hoc fabulo vltra partem dimidiam, tales particulae fplendentes, lapideae, vel vitro & lapidi analogae, conftituunt. Parciffima ergo quantitate, in hoc fabulo terra genuina confpicitur. Hinc illud deinde fit, vt haec terra fabulofa fit fterilis, frugibus procreandis non usque adeo apta; immo frequentibus in locis, vel gramini proferendo prorfus inepta. Aquae etiam fitientiffima eft. Vbi tempeftas diu ficca eft, a ventis magis impetuofis, nullo negotio in cumulos grandes pellitur; vti nix mollior. Ita quidem, vt collium latera abradantur, excauentur, & mox noui colles formentur, ac in altum quoque facillime rapiantur, aliorfum projiciantur. Talis terra fabulofa, dum tempeftas ficca diu durat, tunc in itinere curruum rotas longe fortius impedit, quam lutum molle; peditum & jumentorum veftigia vero alte demittit; atque iter facientes citiffime delaffat. Non ergo ita faxofum eft hoc fabulum, vti cis Peftinum aut Viennam. Hic enim fruftula funt grandiora, & lapilli quoque hinc inde interfperfi. Tales vero lapilli in fabulo noftro nufquam reperiuntur: inprimis prope ad fuperficiem telluris; faltem ad duos & amplius pedes.

SECTIO



SECTIO I.

DE NITRO NOSTRI TEMPORIS SEU VULGARI.

§. LIII.

Sal illud albicans, quod hodie a Nitrariis conficitur, ac in frustulis prismaticis chrystallinis, fere octaëdris habetur: vulgo NITRUM vocatur. Alias etiam *Sal Petrae* nominatur. Est omnino sal hoc sapore frigido-acre, quod igne mediocri facile funditur: cum phlogisto adjecto, detonat: ac satis fixum est: quodue in aquae $6\frac{1}{2}$ parte solvitur. Tale Nitrum, Veteribus omnino ignotum fuit: ac recentioris aeui inuentum esse videtur. Saltem Nitrum Veterum, ab hoc Nitro nostro, quod ita vulgo adpellamus: toto vt ajunt coelo, diuersum fuisse: sectione sequenti ostendam.

Graecis Scriptoribus, nominatur λίτρον vel νίτρον: etsi rectius scriberetur λίτρον. Abrabes recentiores, Nitrum vulgare vocant, Nitroün. Hebraeis dicitur נתר id est *Nitrum*. (a)

H §. LIV.

---

a) Vox haec inter alia occurrit in S. Codice *Jerem. 11. 22.* *Si ablueris te* בנתר. Interpretes septuaginta Graeci vertunt ἐν νίτρῳ id est *in Nitro.* Nitrum

§. LIV.

Multa Veteres Philoſophi & Hiſtorici de NITRO, commemorabant. Verum ſub hac notione, num Nitrum noſtri temporis intellexerint

---

Nitrum ita dictum eſt, *a vibratione micante*, *penetrante*, *perurente*. Verum ad locum illuſtrem, qui habetur Proverb. XXV. 20. Celeberrimus ALBERTUS SCHULTENS, in Commentario ſuo, oſtendit, vocem illam נתר ſignificare, *vibramen vulneris*, *alte adacti*; non *Nitrum*: vti vulgo omnes fere Interpretes habent. Niſi forte ſeptuaginta Interpretes excipias; qui ſic tranſtulere: *ὥσπερ* ὄξος *ἕλκει ἀσύμφορον ſicuti acetum*, *vulneri nociuum eſt &c.* At Vulgata Verſio Latina habet: *Acetum in Nitro: qui cantat*, *carmina cordi peſſimo.* Quum tamen genuinus ſenſus textus Hebraici hic ſit: *Ornata veſte induens*, *in die frigoris: ACETUM SUPER ICTU vel Vulnere ALTIUS adacto: & canens cantilenas ſuper corde quaſſo*, *ſeu adflicto.* Notum eſt in Lexicis Vulgaribus Hebraicis נתר verti ac exponi *Salire*, *ſubſilire*: vti Job XXXII. 1. & ſegolatum נֶתֶר Jerem. II. 22. quod ex priore deriuatum eſt; non male verti *Saponem cretam.* Etſi etiam hoc modo ſcriptum vocabulum, *confoſſionem*, *violentam*, vel *ictum altius adactum* deſignet. Ex quibus liquet חמץ על נתר in loco Proverbiorum ante laudato, non Nitrum ſignificare: ſed potius: *Acetum ſuper ictu*, vel *vulnere altius adacto.* Id

xerint? alia prorsus est quaestio. Certe jam Aristoteles Nitrum inter Salia retulit. *Nitrum*, inquit, (a) *& Sal, solubilia sunt humido: non tamen quolibet; sed frigido.* Et rursus alibi. *Quaecunque autem*, ait, *non ita coiverunt (quarum partes sunt minores partibus aquae, vti fictilia) humore liquantur; vti Nitrum, Sales, terra ex luto orta.* (b) Quin ab HIPPOCRATE, memoratur Nitrum rubrum: quod vino mixtum, mulieribus sterilibus; ad foecunditatem commendat, in quodam vteri vitio. (c) Non secus GALENUS, H 2 Ni-

---

Id omnino sapientissimus Rex, in hoc Proverbio dicere voluit: Ornatus aurei & argentei vestium: nihil adversus frigus prosunt, si vulneri recenti puro, mundo, acetum infundis: id vehementem potius morsum, & dolorem ingentem, in vulnere excitat; tantum ab est, vt hoc vulneri prosit. Cum tristi, & qui cor moerore saucium habet; illi tamen concentus symphoniaci cantantur: laedunt potius cor ejus adflictum, quam dolores sedant. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. De adpellatione Nitri tantum dixisse sufficiat.

(a) Aristoteles Meteorologicorum Lib IV. cap. 6. p. 363.

(b) Aristoteles ibidem cap. 8 pag. 365. ex editione Isaaci Casauboni Lugdun. 1690. in folio.

(c) Hippocrates de morbis mulierum Lib. I. sect. 5. pag. m. 597. ex editione Foesii, in folio.

Nitrum rubrum, in ſmegmatis: ad achores & aſperitates cutis vſurpat. (d) DIOSCORIDES etian vlcera capitis manantia, ſeu Achores ſi Nitro fricarentur, vel illis illineretur ac adteretur: ſanari exiſtimauit. (e) Neque ARISTOTELES inter ea, quae Mirabilia narrantur & audiuntur, adnotare neglexit: Lacus Aſcanii aquas, adeo NITROSAS eſſe, vt veſtibus in hunc intinctis: nulla alia lotione opus ſit. Si quis autem, inquit, diutius veſtes in aqua relinquat: tum lacerae decidunt. (f) Aegyptios autem, ad mortuorum corpora condienda, NITRO fuiſſe vſos: HERODOTUS memoriæ prodidit: *Ubi haec fecere*, inquit, *ſaliunt Nitro* (mortuorum cadaver) *occultantes per dies ſeptuaginta. Neque enim diutius ſalire licet. - - - Nitrum autem carnes tabefacit vel liquefacit, mortuique ſolum cutis & oſa relinquuntur.* (g) In Aegypto autem

(d) Galenus ex Critone Lib. I, *κατὰ τοπ'* pag. 176.

(e) *Ἀχῶρας σὺν νίτρῳ σμώμενος ἰᾶται. Capitis ulcera ſei achores, cum Nitro infricatum, vel adterſum, ſanat.* Dioſcorides Lib. I. c. 82. Id enim dicitur *σμῆγμα Smegma;* quo in abſtergendo vtimur. Quare apud Medicos, pulvis iſte ſiccus, qui cuti non vnctae inſpergitur, ad eam detergendam; *Smegma* vocatur: apud Athenaeum Lib. VI. cap. 54.

(f) Ariſtoteles de Mirabilibus auditionibus vel auſcultationibus p. m 705.

(g) Herodotus *τας δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει, καὶ δὴ λείπεται τῦ νεκρῦ, τὸ δέρμα μοῦνον, καὶ*

tem, in qua regione maxima copia Nitrum fuerit collectum: id vero diligentissimus STRABO adnotauit: *Supra Momemphim vero*, ait, *in Aegypto, sunt NITRI FODINAE duae: quae plurimum Nitri habent*: Hinc Provincia haec NITRIOTICA. (h) Cujus rei mentionem quoque

que

καὶ τὰ 'οςέα *Nitrum autem carnes tabefacit: atque ita mortui, cutis & ossa solum relinquuntur.* Lib. II. seu in Euterpe p. 142. & 143. ex edit. Petri Wesselingii Amstelod. 1763. in fol. Vbi simul observat, apud Herodotum, cum primo scribitur λίτρον, male post pauca, a Librario scribi νίτρον. Id quod tamen, jam ante ipsum admonuit Jacob. Gronovius, in observationibus suis ad citatum locum Herodoti.

(h) Strabo Geograph. Lib. XVII. pag. 803. Id solum adnotabo, ISAACUM CASAUBONUM Interpretationum XYLANDRI Latinam suo loco reliquisse: quae sic se habet: „ *Vltra Momemphim* „ *sunt Nitri fodinae duae; quae Nitrum plurimum ferunt: indeque dictus Nitrioticus Nomos*, edition. Parisiens. An. 1620. in fol.. Quasi vero, Linguae graecae non satis peritus Lector sciat: quid sit NOMOS? Haec vox significat *Praefecturam, sedes*, vel loca alicujus regionis: vti apud Josephum de Bello Judaico Lib. VII. cap. 10. numero 3. Hic enim Ptolemaeus concedit ONIAE, regionem a Memphi 180 stadiis distantem. Vbi Josephus haec habet: νομὸς δ' ὗτος 'Ηλιοπολίτης καλεῖται. *Praefectura autem haec, Heliopolitana vocatur.*

que facit SOZOMENES, in sua Historia Ecclesiastica: Haec autem, inquit, regio (id est Aegypti)

---

catur. Non raro significat regionem campestrem, vbi pecora pascuntur. Inde nominati *Nomades*, gens, quae pecora pascendo victitabat, illa de loco in alium locum agendo. Νομαδικὸς μὲν οὖν ὁ βίος τῶν τρογλοδιτῶν - - - πολεμοῦσι δὲ περὶ τῆς νομῆς. *Trogloditarum vita*, inquit, Strabo, *Nomadica est, seu Pastorica. Vi autem inter se se de pascuis bellant.* Libr. XVI. p. m. 775. Non secus Herodotus de Scythis Libr. IV. numero 19. & 55. item VI. 84. Νομάδες ἄνθρωποι. *Pastorii homines*, memorantur Herodoto, Lib. IV. numero 187. seu pag. 363. & Lib. VII. numero 85. seu pag. 554. Hanc differentiam inter νόμος & νομὸς adnotauit EUSTATIUS in Commentariis suis ad Homerum: ἐπὶ δὲ τυροπόλις, βαρυτόνως, καὶ τυρός, ὀξυτόνως, ὅ, ἀπὸ γάλακτος, καὶ νόμος μὲν, ὁ τὸ δίκαιον διδούς, νόμος δὲ ἐνοξειάτωσει τῆς νομῆς τόπος. p. m. 118. numero 39. ex editione Frobeniana An. 1560. in fol. Vti idem in aliis locis fol. 195 num. 22 item 232. numero 12. & 1282 num. 28 Cur haec Eustatii Latina non faciam: Linguae graecae periti pulchre vident. Nam expertes Linguae graecae, si de oxitonis, barytonis, vel accentu Graui, aut Acuto aliquid audiant: nihilo plus sciunt, quam ante. Et jure illud Comici veteris objicere possent: Fecisti probe; nunc sum incertior, quam dudum. Notissima est notio pascui, etiam apud Homerum Iliad β & δ, vt & alibi passim. Ne quid nunc de ea re quidquam dicam, apud

gypti) vulgo NITRIA vocatur: eo quod vicus seu pagus quidam est finitimus: in quo NITRUM colligitur. (i) Talia autem loca vbi Nitrum in visceribus aut superficie telluris a natura generatur; insalubres aquas habere: jam olim Hippocrates adnotauit. (k) Etsi postea,

H 4

---

apud Medicos νομώδης ἕλκος, *Vlcus depascens* significare, quod serpendo, carnem omnem depascit, corrumpit: vti apud Alexandr. Aphrod. Galenum, Dioscoridem & alios.

(i) Sozomenes Histor Eccles. Lib. VI. c. 31. p. 687. ex edit. Valesii, Mogunt. 1677. in fol.

(k) Hippocrates omnes illas aquas, quae sunt palustres, vel stagnantes & lacustrrs: aestate quidem calidas, crassas, & prauum odorem spirantes judicauit. Ita etiam per hyemem, quae sunt glaciatae & frigidae, & a niue atque glacie turbidae: generant inquit pituitam, raucedinem in faucibus excitant. - - - Τὰ μὲν τοιαῦτα ὕδατα νομίζω μοχθηρὰ ἐιναι, πρὸς ἅπαν χρῆμα. FOESIUS haec sic in latinum vertit: *Ac hujuimodi quidem aquas, ad quidvis paratas esse censeo.* Nihil hic sani habes, nec sensum vllum exhibet. Hippocratis enim haec est mens & sententia. *Tales enim aquas*, (id est, de quibus proxime locutus fuerat) *ineptissimas ac noxias esse existimo, cuilibet rei, vel usui.* Novimus enim, etiam apud Galenum μοχθηρὸς χύμος: *vitiosum humorem* significare. Tum Hippocrates haec subjicit: *secundo loco eas (nociuas esse puto aquas) quarum fontes in locis saxosis sunt (quas duras esse necesse est) aut sit vbi calidae aquae existunt:*

aut

ſtea, contrarium prorſus de aquis Nitroſis ſcripſerit Plinius. (1) Sed cui tanto facilius hic error indulgeri poteſt; quod hic non Phyſicam; ſed Hiſtoricam ſolum rerum corporearum notitiam, poſteritatis memoriae commendauit.

§. LV.

Matrix Nitri, in locis nobis vicinis, eſt terra ſabuloſa ſterilis: qualem §. praecedenti deſcripſi. Talia vero ſunt loco nobis proxima MONOSTOR-PÁLYI, item VÉRTES, ATSÁD, in Comitatu Biharienſi: MIRK, & FÁBIÁN-HÁZA in Szathmárienſi: APAGY, IBRANY, TAS, DEMETSER in Szaboltſienſi. Id autem obſervatione dignum eſt, in Demetſer, quod areae Nitrariae, non ſolum intra

---

aut ferrum naſcitur, aut aes, aut argentum, aut aurum, aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen, ἢ νίτρον, *aut NITRUM.* Ταῦτα γὰρ πάντα, ὑπὸ βιῆς γίνονται τῆ θερμῆ. *Haec enim omnia, caloris* (ſeu ignis) *vi proveniunt.* De Aëre Loc. & aquis ſect. 3. p. m 283. & 284. ex edit. Franeofurt Anno 1624. in fol.

(1) Plinius Hiſtor. Naturalis Libr. XXXI. cap. 32. pag. 556. Eſt autem vtilis ſulphurata neruis, aluminata paralyticis, aut ſimili modo ſolutis: bituminata *aut Nitroſa*, qualis Cutilia bibendo; atque purgationibus.

tra pagum habeantur: ſed etiam tota circumjacens regio campeſtris extra pagum, talis ſit. Id quod mihi de hac re percontanti, Spectabilis ac Perilluſtris D. CASPAR DRAVETZKI, Conſiliarius S. C. R. Majeſtatis, & Salis Nitri Director, retulit. Colligitur Nitrum, in locis depreſſis ſabuloſis: in quae, ſponte defluit aqua pluuia: verum vnde beneficio radiorum Solis & ventorum ſiccorum, aqua decidua facile diſpellitur, exſiccatur. Eligitur proinde a ruſticis, vt plurimum intra vel etiam circa pagos area terrae, 30. vel 40. orgiarum longa, vel lata, ſub dio. Hujus ſuperficiem ſtatim primo vere, ligone vel falce putatoria, omni gramine radicitus abraſo, purgant & planam reddunt. Quanto autem aër poſt pluuias vernales calidior eſt, & venti dominantur ſicciores: tanto etiam majore copia Nitri, ſuperficies areae imbuitur. Plantae, quae in his locis creſcunt, aut in eorum vicinia: omnes ſunt ſteriles, macrae, ſalſae & acres. Ex athmoſphaera proinde, has areas libere peruadente, dum & venti absque vllo impedimento illas perflant: in earum ſuperficiem, ſubtile illud aëreo-elaſticum, quod Nitro incluſum eſt, ſeſe inſinuat. Quod Nitro proinde incluſum haeret principium, aëreo-elaſticum; vi deinde ignis illinc excutitur. Sume enim Nitrum, poſtea pauxillum carbonis admoue; tum ſtatim principium hoc ſubtiliſſimum elaſticum, ex Nitro, vi ignis exſiliet; ac poſtquam in flammam erupit: ſtrepitum vel detonationem faciet. Narrant Excoctores Nitri, majore copia illic generari Nitrum, in ſuperficie areae talis Nitrariae; vbi

ad profunditatem trium, vel quatuor pedum, subtus in terra: lapilli rotundi, vel oblongi cylindrici, sparsim haerent. Tales lapilli, sunt diuersae magnitudinis, unius vel duorum, raro trium vel quatuor pollicum longitudine. Color lapillorum est ex caeruleo nigrescens: raro inueniuntur colore albicante. His similes habentur illic extra Ciuitatem nostram; vbi lateres excoquuntur. Sed tales lapilli valde exigua quantitate haberi possunt, & in areis etiam amplis vix vna vel altera vola, reperiuntur.

§. LVI.

Quoniam vero in athmosphaera nostra, ACIDUM VNIUERSALE copiosissime hospitatur, de qua re jam ad §. 40. 42. 43. multis egi: ergo vbi natura, haec benigna parens, sua sponte in superficiem terrae, Nitrum impurum, & adhuc sordidum protrudit: in locis paulo depressioribus, humidis: si tempestas fauet humida, & per diem calida, cum ventis siccis: hinc Collectores Nitri, non magna praeparatione indigebunt, vt Nitrum copiosum habeant & facile magna quantitate praeparent. Dum enim post pluuias, per intervalla decidentes, tempestas sicca & calida est, & imprimis per diem, coelum sudum est, venti sicci flant, vti Eurus, Subsolanus, Aquilo, Boreas: tum superficies areae sic albicat; quasi cretae copioso puluere, conspersa fuisset. Quare si tempestas anni,

anni, verno ac aeſtivo tempore ſicco-humida ſit: frequenter vnius operarii labor, a tempore verno, usque ad finem Septembris: decem & amplius centenariorum Nitrum nondum depuratum, ex aceruo pulueris nitroſi, quem rutabulo in aceruos verrebat, in area 30. aut 40. orgiarum quadratarum adquirit. Talia loca terrae depreſſiora, quae lacunam quaſi exhibent, immo etiam locus patentes non profundi, qui vti aquis facile impleri; ſic rurſus feruida aeſtate eadem facilitate exſiccari poſſunt. Hungaris noſtris vulgo adpellantur SZÉK, SZÉKES quaſi dicas: *Sedes*, *loca*, *baſes*. In area tali nitroſa, vel Nitraria Anno 1771. menſe Augusto *Monoſtor - Pályini* experimentum inſtitui, cum puluere illo albicante, cretaceo, qui in ſuperficie ejus fuerat. Summo mane, dum area eſſet munda: nullum indicium erat Nitri. At flabat Eurus, ab hora ſeptima matutina fere toto die. Coelum erat ſerenum. Tum circa quartam pomeridianam cepit albeſcere tota ſuperficies areae Nitrariae: non aliter, quam ſi quis puluere cretae conſperſiſſet. Puluis a me guſtatus: Saporem Nitri exhibnit. Poſtea idem puluis ex area ſumtus, & ſtatim carbonibus candentibus injectus: detonabat absque vlla crepitatione. Manifeſto indicio, puluerem illum, non aliud fuiſſe, quam Nitrum. Quum nunc ſub dio, hac ratione fauente tempeſtate, tanta copia Nitrum colligi poteſt: quid ſi tectum illis areis ſuperponeretur; vel ſaltem acerui illi, qui in areis colliguntur, tectis ſupponerentur, & a pluuiis & imbribus defenderentur;

tur; ita tamen, vt a ventis libere perflari possent, quanto quaeso copiosius Nitrum Operarii isti adquirerent?

§. LVII.

Colligendo proinde Nitro, in nostris areis, inepta est tempestas humida, vel dum aestas sine pluuiis diu durat; vel venti humidi grassantur; aut vero venti sicci, vti Eurus, Aquilo, &c. silent. Tales fuere anni 1770. 1771. & 1772. His superioribus annis, pauxillum Nitri parari potuit; & ingentes etiam acerui vel cumuli puluerum corrasorum, in lixiuium missi, postea excocti: parcam admodum quantitatem Nitri exhibuerunt. Non modo enim tempus vernum, sed etiam aestatis pars maxima: copiosissimas pluuias habuit. Quare etiam Excoctores Nitri (A'KARÁMOSOK) post magnos & diuturnos labores, in collectionem & coctionem Nitri impensos: difficulter vitam sustentant. Ex hoc praeterea & praecedenti §. liquet, hoc nostrum *sal Nitri*; ad Salia nuda, & quidem natiuum fossile, quod ex aëre ad terram accedit, referri debere. Hoc si cognitum fuisset Celeb. LINNAEO, Botanicorum hodie facile Principi: sine dubio in sui *systematis Naturae* Tomo 3. Classe 2. §. 13. vbi de Sale Nitri agit, ac Nitrum natiuum enumerat pag. 84. in editione Trattneri Vindobonensi anni 1770. addidisset haec, aut his similia: *Habitat in humo, etiam sine tectis, vti in Hungaria, in terra molli sabulosa, loco depressiore humido, sub dio, & in campis patentibus.* Nunc enim in loco citato habes:

habes: *Habitat in humo, ſub tectis.* Terra proinde haec noſtra, vnde Nitrum colligitur: prorſus diuerſa eſt ab illa, ex qua alibi in Hungaria & Germania: Nitrum excoqui ſolet. Notum eſt, ex domibus ruſticorum, vbi degunt, ſuffoſſam terram ſalſam, vrinoſam, & multo pingui putrefacto inquinatam exportari, aëri libero exponi, diu illic ſeruari: ac poſt illinc lixiuium Nitri fieri, addita calce, argilla &c. Nihil huic ſimile, noſtra humus habet. Nam humus ſub dio, vel campo haerens, macra, flauescens, vel ſi mauis ſabulum ſterile, molle, ſicco-humidum, in minutiſſima fruſta levi preſſione digiti friabile eſt. Sic patitur ſeſe diuidi: vt fere in pollinem abeat, inprimis ſi radiis ſolis exſiccetur. Hujus ſabuli maxima pars: ex minutiſſimis particulis micantibus & lucem reflectentibus, inſtar particularum vitri confractarum, aut galenarum ſplendent: imprimis ſi microſcopiis examinentur. Atque hujus generis humum, in aliquo Europae Regno reperiri, unde Nitrum vulgare colligatur: nusquam me legiſſe memini. Nitrum proinde hoc Vulgare, quod apud nos colligitur, non ex plantis putrefactis, aut vegetabilibus corruptis; nedum ex pingui oleoſo animalium generatur: verum in ſuperficiem ipſam terrae mundam, puram, tempore calido, dum venti exſiccantes flant: a benigna natura, ſponte protruditur, ac eleuatur. Num igitur hoc Nitrum, reuera in humo ſabuloſa generetur, vel ex athmoſphaera libera, talem aream Nitrariam ambiente, huc ad ejus ſuperficiem, ab hac humo ſabuloſa, tamquam a Magnete ſuo adtrahatur?

vel

vel vero ab aqua pluvia decidua, poſtquam haec ab area Nitraria epota, vel abſorpta eſt, vel ope ventorum & radiorum Solis, naturali quaſi euaporatione illinc prorſus disjecta & propulſa fuit, in ſuperficie tali relinquatur; & quaſi praecipitetur? merito a Phyſicis quaeri poteſt. Hoc Nitrum vulgare, non ex aqua pluvia generari, neque hinc praecipitari: illinc liquere arbitror; *quod uno quadrante horae in territorio ejusdem Pagi verſus Meridiem* (*) *nec non in HOSZSZU-PÁLYI, item apud nos, & alibi paſſim:* non Nitrum Vulgare; ſed Nitrum alcalinum ſaponarium colligitur. De qua re ſectione ſequenti agam. Ex athmoſphaera vero, omnem maſſam Nitri, a ſuperſicie ſabuloſae areae adtrahi, ac ex ea excuti: mihi ſaltem veriſimile eſſe non videtur. Nam ſi apud nos Debrecini. loca ſimilia depreſſiora, vel areae ſabuloſae ejusdem generis ac ſpeciei, quam ſunt

(*) Nuper die XVI. Auguſti 1776. duabus ciſtulis, ſabulum nitro dives ad Celeb. ac Cl D. Jacquin, Profeſſorem Chemiæ Viennam transmiſi. Iſtarum alteri ſabulum Nitro recentiorum onuſtum; alteri vero ſabulum Nitro veterum, ſeu Natro abundans incluſi. Sabulum Nitro imbutum, ad limites domus meae, cui arca nitraria in pago adiacet: Sabulum vero Natro impraegnatum, in prato meo, ſeu foeniſecio ejusdem Pagi, quod a Pago dimidia hora verſus Meridiem removetur: ego ipſe collegi.

ſunt Vérteſſienſes, Monoſtor-Pályienſes mundentur: non terram puluerulentam ſale Nitrato Vulgari imbutam; verum ſale Alcalino Saponario, ſeu Natro diuitem exhibebunt. Niſi forte dicas, athmoſphaeram noſtram, non ſolum Acido vniuerſali ſeu catholico: verum etiam Alcalino catholico plenam eſſe. Atque ita, prout ſunt corpora diuerſis proprietatibus inſtructa: haec quidem ſolum acidum vniuerſale in ſinum ſuum adtrahere, vti Vitriola, ſulphura &c. iſta contra ſolum Alcalinum vniuerſale; vti Nitrum Veterum, & de quo ſectione ſequenti agam; ſeu Nitrum Alcalinum Saponarium noſtrum: illa denique, quae vtraque haec Salia Acida & Alcalina vniuerſalia, ex aequo recipiunt in ſinus ſuos. Talia ſalia, quae nec Acida. nec Alcalina ſunt; ſed de vtriusque natura perinde participant: vocantur Salia Media, vel Neutra, vti §. 44. vidimus. Atque huc pertineret jam, Nitrum noſtrum hodiernum vulgare; quod in locis & pagis §. 55. memoratis colligitur. Mihi ſaltem, veritati quam proxime id accedere videtur, ſi adfirmemus: ſuperficies has arearum, eſſe quaſi Matrices Nitri, in quibus non ſolum Nitrum generatur ſed etiam ex athmoſphaera ambiente adtrahitur; vel potius Matrix haec, & oua ſeminalia vtriusque Nitri (ſi ita loqui fas eſſet) ab Acido & Alcalino vniuerſali foecundantur, ac animantur. Sed hypotheſes fingere nolo. De vtriusque rei veritate, experimenta inſtituta inſtituenda ſi velis: certiſſime te conuincent. Si cinerem, calcem, ſalem vulgarem, terram fimo animalium pinguem redditam, inter ſe permiſces, tum

vrina


vrina animalium humectas, & libero aëri expones: fiet, vt post aliquot mensium moram, sale Nitri haec mixtura, ex athmosphaera impregnetur, si talem vero massam, ex vase vitreo conico suspendes: tum non modo exteriori superficiei adhaerebit Nitrum: sed etiam in vas suppositum destillabit. Contra vero sume cineres vegetabilium; fiat lixiuium acre: Impone vasi testaceo, relinque in loco libero, aperto, quem ventus perflet, sub tecto tamen: postquam aqua omnis auolabit; videbis in ollae testaceae superficie vtraque, verum sal Alcalinum, seu Nitrum Veterum haesisse: quod recentiores malunt vocare NATRUM. Tale est etiam Nitrum Murorum, quod parietes aedificiorum transsudant: id quod ex lateribus excoctis, calce, sabulo, terra aliquantnm humida, & oleosa nasci, nemo ignorat, qui huic rei paullum diligentius attendit. Plura nunc commemorare nec vacat, nec placet. Obuia quaeuis murorum rudera, & id genus alia: amplam hic messem Physico offerent; modo ipse sibi oculos claudere nolit.

§. LVIII.

Modus Nitrum Vulgare, seu terram Nitrosam colligendi, hic est. Dum calor Solis & venti sicci, a matutino tempore, usque ad horam pomeridianam quartam, vel quintam, *superficiem areae subdio exsiccarunt*; coelo sereno sudo: tum raditur superficies areae, lamina ferri, duorum pedum longa, & tres pollices lata.

Crassi-

Craſſities laminae, in dorſo eſt, vnius tertiae partis pollicis; acies autem fere unam decimam partem pollicis habet. Haec lamina trabi bifurcatae, quinque aut ſex pedum longae, & dimidium pedem craſſae; vbi furcae extremum bifidum eſt: transverſim infigitur.



Trabs bifurcata eſt, C. D. E. Lamina ferri, furcae infixa eſt F. G. Tum extremitati C. adjungitur trabs, vel lignum modice craſſum A. B. ad hoc, in A. & B. junguntur duo equi, vti in aratrum. Deinceps ruſticus duobus pedibus inſiſtit furcae extremo ad D. & E. Ne autem ruſticus decidat, habet baculum modice craſſum, puta vnius pollicis vel duorum craſſum, & quatuor pedes altum, infixum trabi ad H. quem manu adprehendit. Alter vero ruſticus, equos ad A. & B. junctos: in orbem ita circumdu-

cere edoctus est, vt vix vnius pollicis superficies, in area relinquatur, quam lamina F. G. non verrat aut subaret. Hoc labore absoluto; tum rutabulo terra abrasa, cogitur in cumulos exiguos. Haec postea carris, truditur ad marginem areae, paullulum altiorem, in aceruum. Hic aceruus sic sub dio relinquitur, sine vllo tegumento, ab initio veris: ad initia vel dimidium Septembris. Tunc demum cadi, in area, juxta aceruum disponuntur.

In Cado autem, supra fundum ejus baculi transuersim locantur, ac virgulta; quae terrae defluxum, ad fundum Cadi impediant: aquae autem, quae terrae adfusa destillationem ad fundum Cadi; liberam relinquant: vbi lixiuium nitrosum colligatur. Dum Cadi sic dispositi sunt in area juxta inuicem, cum bacillis, in Cadum transversim positis; tum terram puluerulentam in aceruum collectam, sensim infundunt Cadis: quorum duas tertias partes replent: tum aquam affundunt sufficientem: quae sal intra pulueres haerens soluat. Sic stant Cadi per aliquot dies. Insuper in latere Cadi, paulo supra fundum, inseritur Epistomium Per hoc igitur Lixiuium in Cado intra bacillos & fundum Collectum, promitur: & in alterum Cadum in terram de fossum, per cisternam deriuatur. Ex hoc depresso Cado, lixiuium in eo collectum: post in furnum, cui ahenum Cupreum impositum est, deportatur. Substernitur ignis, ex Clavis ligneis Crassioribus constructus; isque alitur dies & noctes continuo, plus minus per sexaginta horas. Coctione legiti-

gitime peracta, exhauritur in Cados lixiuium; atque exponitur refrigerio. Sic post aliquot dierum moram, excutiuntur ad marginem Cadi lignei, Crystalli Salinae, polygonae, & vt plurimum hexagonae, prismaticae, ac pellucidae. Cum dives est, Nitro lixiuium, etiam duorum vel trium digitorum crassitie: excutitur Nitrum ad Margines Cadi. Talis Cadus profundus est duorum pedum: latus vero 3. v. 4. pedum. Hoc sal impurum, ab his Coctoribus Nitri, deportatur in oppidum KALLO: vbi in officina Salis Nitri Regia, noua sic Nitri solutio, Crystallizatio, & depuratio, a crassioribus sordibus & aliis. Hinc tandem in doliis ex pino confectis, ad armamentaria Regia, ac metalli fodinas, puta CASSOUIAM, NAGY-BANYAM, & CIBINIUM in Transyluaniam deportatur, vt illic in Molis Regiis, pulvis pyrius conficiatur, aut etiam in alios usus adhibetur, vel & in vsus Medicos. Terram vero semel in aheno excoctam, & suo Nitro orbatam: Excoctores Nitri non abjiciunt: verum rursus in aream, vnde antea verrebatur, ex Cadis ejiciunt; illic in ejus superficie dispergunt; vt terra haec, Nitro Spoliata, rursus ex athmosphaera nostra, in superficie ejusdem areae, Nitro postea imbuatur. Nitrum vero ita depuratum, & dein Linguae admotum, sensum frigoris in Lingua excitat. In aqua pura solutum: illam reddit frigidiorem. Id quod adhibito Thermometro facile cognosci potest. Si autem in Carbones candentes, tale prisma salinum Nitri conjiciatur: tum subito flammam concipit, ac cum vento excitato detonat, tum

 exiit:

exilit: ac totum deflagrat. Si Nitrum Aceto permiſces: tum nec efferueſcit, nec crepitat.

SECTIO III.

DE NITRO ALCALINO, SAPONARIO, SEU NATRO RECENTIORUM, NITRO AUTEM VETERUM.

§. LIX.

Mirabuntur multi, me ſal illud Nitri, de quo nunc exponam alcalinum adpellare. At mirari deſinent, poſtquam rationes adduxero; Cur hoc ſal, omnino, ſal Nitri Alcalinum adpellem. Omnes enim Chemicos, ad Magnum BOERHAAVIVM vsque, non dari Alcali foſſile; verum omne illud ſal, ex regno vegetabili naſci exiſtimaſſe; nulli ignotum eſt, qui vel ex limine experimenta Chemica luſtrauit. Creditum omnino fuit, ſal Alcalinum omne, non niſi ex vegetabilibus, ope Ignis, produci poſſe. Res ſane hoc vsque ignota fuit, ſal Nitri, absque argilla molli, pingui, excrementis animalium, gypſo, calce, plantis putrefactis: parari poſſe. Et tamen Nitrum nudum & natiuum dari; Sectio praecedens oſtendit. Quoniam vero Nitrum hoc, quod apud hos colligitur, & dequo Sectione praecedenti egi, ex terra eruitur: merito

rito hoc ſal foſſile haberi debet. Sal Nitri, eſſe ſal Neutrum, vel Medium: BOERHAAVIVS credidit. Ego etiam tale illud exiſtimo. At Celeberrimus LINNAEVS, Nitrum docet eſſe ſal acidum, idque eſſentiale. Equidem nunc hanc controuerſiam meam non faciam. Experimenta cum Nitro inſtituta monſtrabunt; ſal hoc quale in Natura exſtat: acidum ſtatui non poſſe; ſed potius Sal medium, in quo acidum praedominatur. Hoc ſi CL. LINNAEVM mouit, vt hoc Sal adpellet acidum: nullus intercedo. Solui aliquoties Nitrum hodiernum vulgare, in aceto fortiſſimo: at nunquam vel minimam efferueſcentiam factam fuiſſe deprehendi; nec ſibilum aliquem, nedum bullulas, ſpumas, aut fumum. At Nitrum vt bonae Notae ſit oportet: ac probe á Salibus heterogeneis depuratum.

§. LX.

Verum datur altera ſpecies Nitri foſſilis, vere alcalina: quae optimo jure Nitrum Alcalinum foſſile nominari poteſt. Hujus denominationis rationes: paulo inferius exponam. Sal hoc Alcalinum, ſeu Nitrum alcalinum, perinde vti Nitrum Vulgare, reperitur in Regione noſtra Campeſtri, in locis humilibus, depreſſis, lacunoſis, vel in margine paludum Stagnantium non profundarum; imprimis dum hae ex ſiccari incipiunt. Terra haec, vbi ſal hoc Alcalinum reperitur perinde eſt terra mollis, ſabuloſa, talis nempe, qualem §. 54. 55. deſcripſi. Nulla nota,

vel indicio, ab illa terra ſabuloſa, vel loco, aut ſitu, colore, conſiſtentia vel ſpecie externa; haec terra Sale Alcalino diues, ab eo differt, aut ab eo diſcerni poteſt; vbi Nitrum vulgare colligitur. Quum igitur paludes, aut Camporum aquae, ſenſim propter radios Solis & ventos, in auras diſcedunt; vel aqua à terra arida, poſt longiorem moram, vbi ſiccitas dominabatur, in aequore campeſtri abſorbetur: tum interea in margine paludis, aut in area campeſtri, vnde aqua pluuia decidens exſiccata fuerat, protruditur, ac in ſuperficie terrae ſponte elevatur terra, inſtar grumorum, aut glebarum, imprimis mane, ſub aurora, & donec ros durat, in ſuperficie terrae. In ſuperficie areae, ligone vel falce adplanatae glabrae, ita vt plantarum quoque radices exſtirpentur, elevantur proinde tubercula, ac grumi, itemque glebae, plus minus vnius, aut duorum pollicum magnitudine. Hae autem nihil aliud ſunt, quam terra ſalſa friabilis. Tales areae humiles, depreſſae reperiuntur, in agro Debrecinenſi, verſus meridiem; item in locis nobis vicinis Kis-Pirts, Bagos, Derecske, Konyár.

§. LXI.

Terra proinde talis Salina puluerulenta, in ſuperficie terrae, ſubdio in campis patentibus & apertis, aut circa pagos: colligitur in aceruos & cumulos; non ſecus quam de Nitro §. 56 expoſitum fuit. Hoc ſolum diſcriminis intercedit. 1° Quod glebae prominentes in ſuper-

perficie terrae, & grumi pulueruleuti; summo mane & dum ros durat; vsque ad septimam vel octavam horam matutinam colliguntur. 2° Collectio hujus Salis Nitrosi fit, solum admotis scopis, neque tali subaratione opus est: de qua §. 56. dictum fuit; 3° Nitrum vulgare colligitur tempestate feruida, calida, sicca; numquam tempore roscido; humido, aut mane: sed tempore sicco & quidem post meridiem. Cum contra hoc Sal Nitri Alcalinum, colligitur tempore roscido, humido, summo mane: Nam si id exspectes, dum aestus Solis, grumos in area vel superficie hac haerentes exsiccet: tum grumi vel glebae collabentur. Hoc modo terra Salina alcalina, seu Nitrata colligi nequit. Terra proinde talis puluerulenta sale interperso dives; vulgo a nostris Saponariis & aliis adpellari solet SZEK - SO? *Sal Locale, vel sedis.* Vtraque autem terra, vel humus, vnde Nitrum vulgare, & sal Saponarium seu Nitrum colligitur, etsi ejusdem generis ac speciei adpareat, ita vt oculorum judicio solo, non facile quis vllam diuersitatem obseruare possit: attamen toto vt ajunt coelo haec a se differre: effectus illi contrarii quos edunt, manifeste demonstant. Coctores enim Nitri, ex aceruis puluerulentis humi sabulosae; Nitrum vulgare excoquunt. Contra vero Saponarii nostri, dum cum simili humo sabulosa puluerulenta, Lixiuium parant: postea addito Sebo, pinguedine boum vel larido: pulcherrimos ac praestantissimos sapones albos illinc parant. Haec altera proinde species Salis, perinde in

locis depreſſioribus, lacunoſis, ſub dio in campis, vel ad margines paludum, dum hae exſiccantur; copioſe generatur. Collectio hujus Nitri fit, tempore aeſtiuo, in Campis depreſſis, vnde aqua pluuia, vel ſtagnans, auolauit. Tum certa portio ſuperficiei terrae plana redditur. Plantae autem ligone, vel alio inſtrumento radicitus euelluntur, & ſic ſuperficies munda fit; nec non in margine paludum ampliorum: tum interea in his areis, vel ſuperficiebus terrae, ſponte protruditur ac eleuatur inſtar grumorum vel glebarum, humus puluerulenta, ſabuloſa, ſed ſalſa, friabilis, Nitro Alcalino dives. Hoc autem fieri conſueuit imprimis ſummo mane, dum circumjacens campus, diuite rore madet. Verrunt proinde has areas diluculo, ac ſub ipſum Solis ortum, admotis ſcopis in agris DEBRECINENSIBUS paſſim, verſus KIS-PIRTS & alibi vti §. praecedenti ad finem dictum eſt. Hujus generis Sal colligur in locis nobis vicinis KIS-PIRTS, HOSZSZU-PALLYI DERETSKE, KONYAR &c. Conſulto vero adnotaui, perexigua vel comminuta lapidis fruſtula, quae inſtar vitri albicantis vel galenarum ſplendent: In humo noſtra puluerulenta & ſabuloſa conſpici. Id enim & nudis oculis ſpectari poteſt, ſi quis ſabulum noſtrum diligentius contempletur. Cum primis vero ſiquis microſcopio, ſabuli hujus noſtri examen inſtituat: vnum quemque de hujus rei veritate, ipſa experientia conuincet. Vnde mirari oportebat, virum Juvenem, Doctum, qui in Chemicis quoque haud contemnendos fecit profectus: tamen publice adfirma-

re

re non dubitasse: in sabulo hoc nostro Debrecinensi KIS-PIRCSIENSI, MONOSTOR-PALLYIENSI, VERTESIENSI &c. vndeSal Saponarium, vel Nitrum vulgare colligitur; nulla prorsus frustula arenae minutae vel lapillorum reperiri. Et tamen res prorsus aliter sese habet. Nam sabuli nostri, plus quam tres quartae partes ex hujusmodi minutulis arenulis, qui istar vitri in puluerem comminuti splendent, constant. Id vero singulare habet hoc sabulum, quod aquae sit sitientissimum, & ingentem quantitatem aquae subtitò imbibat; sed quam à calore Solis sollicitata, citissime dimittit; sic promtissime exsiccatur, vehementer in calescit; ita quidem vt nudis pedibus, calor ejus aestate vix ferri possit: nisi à rusticis adsuetis; qui nudi-pedes incedunt. Quare post longissimas etiam pluuias, in superficie terrae, ad vias publicas, vix alicubi lutum nascitur. Hoc si oriatur; id vero exiguum est, nec profundum, nec tenax; sed in superficie terrae; raro infra pollicis longitudinem, rotas curruum demittens. Hinc nec radiis rotarum lutum adhaeret: sed fere sponte defluit. Et qnia à radiis Solis humus nostra Sabulosa, mollis & rara, cito vehementer incalescit: nihil mirum est, cur cellae vinariae, apud nos tam paucae habeantur, quae vino conseruando aptae essent.

§. LXII.

Natura vero hujus Salis est prorsus singularis. Vt igitur adcurate cognoscerem ad quam speciem

ſpeciem Salis pertineret: tum die 12. Febr. A. 1771. ſumſi talis terrae puluerulentae, ſabuloſae, cujus §. praecidenti mentionem feci libras quinque. Hanc impoſui ollae recenti fictili, nouae & bene vitratae. Tum ſuper affudi, aquae fontanae purae, menſuras vulgares 3. (drey halbe *három ittzét*:) Tegebam operculo; ſtabat ita per horas bis 24. in loco temperato; interea bacillo quandoque agitaveram. Poſtea aquam ſeu lixiuium, ſenſim in vas vitreum effudi; de cantando leniter, vti vulgo loquuntur. Deinde per chartam Emporeticam filtrabam, & percolabam. Sic depuratum lixiuium, infudi vaſi cupreo patulo: cujus interior ſuperficies ſtanno plumbato recenter obducta fuit. (vulgo Caſtrol) Huic adparatui ſubjeci tripodem ferream, ac Carbones ignitos ſubdidi, aquam lixiuii tamdiu euaporando, donec in ſuperficie aquae cuticula adpareret: ſed jam hoc tempore, ad Marginem vaſis interiorem, Cryſtalli flaveſcentes excuti ceperant. Tandem igitur infudi hoc reſiduum lixiuii, patinae teſtaceae bene vitratae, ac in cella ſpatio 24. horarum, refrigerio expoſui. Interea vero ſuperficiei patinae interiori, adcreuere Cryſtalli Salinae, craſſitie duarum linearum; Color Cryſtallorum primo fuit ſubflauus, pellucidus, qualis eſt Sacchari, qui in Hollandia BOERHAAVE ZUCKER vocatur. Poſt ſeptem dies, flauescens ille color, in aura libera auolabat in Muſeo, & albicans reddebatur. Figura Cryſtallorum exhibebat priſmata 4. vel etiam 5. linearum longa: vnius, aut duorum lata; ſed concreta, quod nullos bacillos lixiuio injeci,

ci, nec ſuperpoſui. Hoc ſal Cryſtallizatum odorem habet nullum: Igni injectum quoque, nullum ſpargir odorem: ſed dum in igne colliqueſcit, aliquem ſibilum edit, ac paullulum crepitat: non tamen tam fortiter ac crebro, quam ſal vulgare. Poſtea in igne, in ſpumas ac bullulas amplas, albicantes, rotundas attollitur; vti cum alumine fieri ſolet, ſed bullulae iſtae mox euaneſcunt, ac in carbonibus exſtinctis, nullum deinceps veſtigium Salis reperitur. Guſtaui deinde has Cryſtallos Salinas; Sapor Salis hujus, non eſt nauſeoſus; ſed tamen linguam profunde penetrans, pungens, acrisque eſt: ita quidem, vt quamquam vix ſummitate linguae guſtaſſem: attamen poſtea Saliuam tanta abundantia proliciebat, vt vltra ſpatium horae, copioſiſſime ſputare debuerim: ſenſum vero acrimoniae vrentis: etiam poſt bihorium, in ea parte linguae ſenſi; vbi ſal hoc linguam attigerat.

§. LXIII.

Lixiuium hujus Salis, ollas teſtaceas recentes, dum in iis haeret, ſic hinc inde penetrat, & ſi intus optime vitratae ſint: vt in ſuperficie earum exteriore, Sal transſudans, iisdem, inſtar cretae albicantis adhaereat. Si autem lixiuium tale, diutius in vaſis fictilibus adſeruetur: tum illa corrodit ac ita perforat, vt lixiuium illud acre penetret, ſenſim ploret, ac vas ipſum poſtremo corrumpatur. Immo & vaſis Cuprei ſuperficiem exteriorem, vbi quae-

quaedam guttae lixiuii, in decantatione defluebant; ſic fluidum hoc adfecit: quaſi loca illa puluere cretae reſperſa fuiſſent. Exemptam igitur ex cella patinam vitratam, Muſeo meo intuli. Adſeruabam hic, in aëre temperate calefacto, dum diebus 19. 24. 25. Februarii, extus eſſet acre gelu & tempeſtas ſerena. Interea vero patinae vitratae ſuperficiei adhaeſerant Cryſtalli ſalinae, ſatisfirmiter: ita quidem vt vi illinc intenſa ſcabi, vel abradi deberent. Hoc tamen Sal intra ſeptiduum in aëre libero, non colliqueſcebat, etſi vas patulum reliquiſſem, neque aliquid tegumenti vice, ollis imponerem. Immo vero cum ab Anni 1771. die 20. Septembris vsque ad Anni 1772. diem 10. Aprilis, Cryſtallos Salinas in patina fictili libero aëri expoſitas, in Ambulacro domus meae, operculo laxo adpoſito adſervaſſem: tum Sal hoc Cryſtallinum majorem ad quiſiuit duritiem, ac fere inſtar lapidis preſſioni reſiſtebat. Cryſtalli vero hujus Salis in maſſam vbique concreſcentes: inſtar vitri politi ſplendent, & albo colore, veluti ſpecula lucem reverberabant. Diſparere proinde ſolet color ille Salinarum Cryſtallorum ſubflaueſcens, atque interjecto tempore albicare, ſolet magis. Sal hoc eſt ſitientiſſimum humidi. Quoties autem calor eſt intenſior ſeu ſolis, ſeu hypocauſti, aut foci; tum albicant Salinae cryſtalli magis & redduntur duriores.

§. LXIV.

§. LXIV.

Tentamina proinde cum hoc Sale inſtitui, in Apotheca Publica Liberae & Regiae Ciuitatis noſtrae Debrecinenſis, operam ſuam vltro offerente Nobiliſſimo ac Generoſo D. SAMUELE KAZAY Apothecario. Atque hic idem ille eſt, qui experimenta quoque, cum Sale fontis VARADIENSIS a me inſtituta, non modo coram ſpectabat: ſed etiam pro tentaminibus inſtituendis, ſpiritus, olea, & id genus alia; liberaliter ſubminiſtrabat. Hoc igitur ordine cum Sale noſtro cryſtallino, experimenta inſtitui.

1° Fruſtum Salis noſtri cryſtallini, teri juſſi in mortario vitreo mundo. Sic exhibuit puluerem Salis albiſſimum: inſtar niuis. Hunc puluerem ſalinum, ſolui in aqua fontana pura, limpida, clara; immittendo poculo vitreo mundo. In ſolutione hac oriebatur mutatio nulla. Poſt ſolutionem autem permanſit aqua pura, limpida clara. Huic ſolutioni, poſtea injeci fruſtum chartae caeruleae, quo coni ſachari teguntur. Verum color chartae manſit amoenus, Paullulum quidem magis caeruleſcens; ita vt violaceus aliquantum minueretur. Charta ſolutioni ſalis injecta, talis perſtitit quoad colorem; etiam poſt 48. horas. Verum ſi ſolutioni iſti ſalis, vel ſpiritum Nitri, aut oleum vitrioli inſtillabam: charta iſta caerulea, colorem ſuum perdebat, ac primo rubeſcens, poſtea vero albicans reddebatur.

2° Alteri

2° Alteri poculo, infudi aquam puram. In hoc ſolui ſalem noſtrum. Poſtea ſolutioni huic, inſtillaui oleum tartari per deliquium. In hac commixtione mutatio oriebatur nulla; neque vllus odor ſentiri potuit, nec praecipitatio fiebat vlla, verſus fundum. Mixtura haec fuit clara, pellucida absque odore, etiam poſt 24. horas.

3° Sumſi poſtea Spiritum Nitri crudi; ſolutioni ſalis in aqua pura factae, inſtillabam guttas aliquot; mox naſcebatur feruor, trudebat ſpumas ſurſum cum ſibilo; tumebat ſpuma fere ad altitudinem dimidii pollicis. Poſt mixtionem peractam, odor ſolutionis nullus; nec ſedimentum vllum cadebat: ſed ſolutio manſit pura.

4° Aliud Poculum vitreum adhibui, quod capiebat vncias quatuor aquae. Huic infudi aquam fontanam puram; in hac ſalis noſtri copiam ſufficientem ſolui. Peracta ſolutione, vix tres aut quatuor guttas olei vitrioli fumantis inſtillaui; cum ſubito naſceretur efferueſcentia ſumma, & bullae ſpumaque tollebantur fere ad ſeſqui pollicis altitudinem. Interea autem dum pergebam plus inſtillare: fiebat ſibilus cum ſtrepitu: in vitro vero oriebatur fumus & calor: etſi cum ſolutio ipſa Salis, tum oleum adfuſum, ante commixtionem fuerint frigidiſſima. Verum in commixtionis initio, naſcebatur color flaveſcens: ſed poſt aliquod tempus reddebatur clarior: manſitque abſque ſedimento & praecipitatione vlla: etiam poſt 24. horas.

5° Rurſus

5° Rursus sumsi poculum priori simile, ac in aqua pura, sal debita quantitate solui. Huic instillaui, guttas aliquod, spiritus salis communis. At vix quatuor, aut quinque guttae cadebant in aquam sale diuitem, cum statim oriretur efferuescentia: mixtura vero haec spumabat leuiter. Tandem commixtione peracta: color ejus flauescebat, odor quoque aliquis non prorsus ingratus sentiebatur; sedimentum quoque demittebat ochraceum, modica quantitate. Verum solutio haec, post aliquot horas, facta est translucens, pura, limpida, crystallina; & solum circa fundum poculi, apparuit opacior: quorsum ex solutione Salis, praecipitatum aliquid fuit, & instar flocculorum ad fundum poculi haesit.

6° Dum Syrupum violarum solutioni Salis hujus purae in aqua factae permiscebam: tum amoenissimus ille color violarum, subito in viridescentem, prasinum, laeto spectaculo mutabatur; & jucundum colorem viridis Jaspidis exhibuit. Huic mixtioni postea, instillatus spiritus nitri, aut vitrioli, vel salis communis: colorem gratum rubini induxit. Verum huic eidem commixtioni rursus pulveres salis nostri contritos injeci: hujus solutione peracta; tum viridis color regeneratus est. Non tamen color violaceus coerulescens, vnquam postea rediit, quacunque ratione acida, vel alcalina, solutioni huic injicerem.

7° Puluis gallarum, solutioni Salis in aqua pura factae injectus: produxit colorem brunum;

num;

num; talem qualis ſolet eſſe panni, quo P. Franciſcani vtuntur.

8° Poſtremo ſumebam Salis noſtri vncias quatuor, hinc paraui lixiuium cum aqua pura. Lixiuio huic deinceps, ſebi vaccini recentis libras duas injeci: tum in lebete ex orichalcho confecto, igne ſubpoſito coquebam tam diu: donec in ſaponem condenſaretur. Dum nunc libras nomino, non medicas: ſed vulgares intelligo. Poſtquam debitam conſiſtentiam mixtura illa ſebacea adquiſiuit: fudi in capſulam ligneam. Hoc modo deinde in aëre libero: in maſſam albam ſaponaceam concreuit. Non tamen hoc modo ſapo bonae notae parabatur. Sapo enim hic non ſoluebatur perfecte in aqua. Vnde ex hoc experimento collegi: quantitatem ſebi, plus juſto majorem, ſal vero alcalinum, parca quantitate fuiſſe adjectum. Iterari proinde hoc tentamen debuit aliquoties; donec melior ſapo cum ſale hoc alcalino confici poſſet. Saponarii noſtri parant lixiuium ſolo tentamine & methodo empiricorum: nulla lege, aut experimento certo ac conſtanti: ſed vti quemque eorum, vſus & exercitium docuit. Diligenter in haec inquiſiui: ſed nemo opificum aliquid certi reſpondere potuit. Lixiuium ejus vulgo ſic paratur: ſumunt ſabuli puluerulenti ſordidi, ſed Nitro diuitis. partes 5. vel 6. aut 7. addunt calcis viuae vnam vel duas partes; tum affundunt aquae frigidae quantum ſatis eſt pro lixiuio. Tale lixiuium aliquoties intra 36. aut bis 24. horas volutabro, vel pila lignea, aut rude agitatur. Tum ſumitur

mitur pinguedo vel ſebum quodcunque: lique fit in aheno cupreo, vel lebete, in exigua quantitate lixiuii diluti, plus denique pinguedinis continuo adjicitur. Per vices additur portio meraca lixiuii. Interea quandoque Sal commune per interualla adjicitur tamdiu; donec de maſſa confuſa & ſoluta, guttula bacillo excepta, & plano inclinato inſtillata, a lixiuio facile deſeratur. Igne vero ſubtus in fornace inſtructo cui ahenum immiſſum eſt, perpetuo vrgetur in feruorem, lixiuium; donec maſſa saponi formis ſuppremum marginem, illumque ſupra fornacem vnum & amplius pedem altum attingat. Cum non amplius lixiuium recipit, ſebum liquefactum: tum in cadum alium hauſtro transfunditur. Tum recens lixiuium meracum, atque etiam lixiuium antiquum forte, aheno infunditur. Huic, maſſa prior reaffunditur: & de nouo coquitur, ſal quoque identidem injicitur: donec ex albo colore, poſtea palleſcere incipiat. Atque illa praxis, ex aheno in cados transfuſio; nec non hinc in ahenum, cum recenti lixiuio; quinquies & vltra repetitur: ac tandem maſſa ſaponaria, in ciſtam ligneam effunditur, & tudicula comprimitur. Illic in frigore, donec condenſetur relinquitur. Talis maſſa exhibet ſaponem albiſſimum: non ingrati odoris. Sapo hic omnium quos vidi eſt albiſſimus, & in aqua Perfecte ſoluitur, abſque vlla tenacitate.

9° Salem hunc noſtrum, fudi cum ſulphure vulgari: tunc abiit in duritiem fere lapideam. Id jam de Nitro quod in Aegypto copioſe habetur:

betur: Plinius in Hiſtoria naturali obſeruauit. Talis maſſa ſalis, cum ſulphure fuſa; omni dote & indiciis: ſimilem illi ſpargit odorem, quam Thermae Varadienſes latiſſime diffundunt. Verum materiam hanc ſalis, cum ſulphure fuſam & concretam, dum diutius in aura libera humidiori aſſeruaſſem: interea ſponte molleſcere, & aliquo modo in grumos fatiſcere cepit: odorem quoque illum graue olentem, poſt menſis vnius ſpatium, exitu notabili diminutum fuiſſe obſeruaui, ita tamen, vt etiam poſt hoc tempus, odor idem, etiam poſt tres menſes quantitate partiori ſentiri poſſit.

§. LXV.

Ex iis autem, quae illinc a §. LXII. hoc vſque ſunt commemorata experimenta, clariſſime conficitur: Nitrum hoc ſeu Natrum, eſſe omni dote alcalinum, idque fortiſſimum: neque multum ab eo diuerſum; quod *Herodotus* & *Strabo*, in Aegygto generari ac naſci memoriae prodiderunt. Certe Nitrum hoc foſſile eſſe, neque ex vegetabilibus, aut putrefactis animalibus generari; ea quae a §. 60. hoc uſque adtuli: cumulatiſſime demonſtant. Et tamen Nitrum hoc alcalinum; toto vt ajunt coelo, a Nitro vulgari diuerſum eſſe: nemo non videt, qui ſaltem ea, quae de hoc proxime, & Paullo ante de Nitro vulgari dicta fuere conſiderauerit. Nunquam cum Nitro vulgari, ſaponem conficies: cum hoc autem alcalino facillime. Reliquas enim hujus Nitri dotes, paullo ante expoſitas: ſin-

ſingillatim recenſere nolo. At Nitrum hoc alcalinum noſtrum, Nitro veterum ſimillimum eſſe §. praecedens: luculenter oſtendit. Quam firmo proinde illa nitantur fundamento, quae *de differentia Nitri Vulgaris* noſtri temporis & *de Nitro veterum* Celeberrimus DAVID GAUBIUS, in Academia Lugduno Batava Chemiae & Medicinae Profeſſor Clariſſimus ſcripſerat: etiam ex iis, quae ſuperiori, & hac ſectione tradita fuere, amplius confirmantur. „ Nitrum, inquit, veterum, a Nitro Recentiorum; toto „ coelo diſtat. Nitrum & Aphronitrum veterum: vix diſtat, niſi puritate & ſubtilitate. „ Videtur itaque Nitrum noſtrum: veteribus „ plane incognitum fuiſſe. Nec ſatis conſtat: „ quo id tempore inuentum ſit. Noſtrum artificiale eſt. Veterum nativum foſſile. Noſtrum, ſal medium, refrigerans: Veterum, „ ſal alcalinus, calefaciens. Noſtrum, Sal blandus: veterum Acer, exedens. Noſtrum, „ cum aceto nequaquam feruet: Veterum, „ omnino. Noſtrum nunquam aêre liqueſcit: „ veterum facile. Noſtrum inflammabile eſt, „ & igne detonat: non item veterum. Noſtrum inutile deterſioni: veterum vtiliſſimum. „ (a) Id ſolum bona cum venia ſummi Viri, inter cujus Auditores, in Lectionibus

(a) Schedam hanc Celeberrimi GAUBII, cum orbe erudito communicauit SCHULTENSIUS: in Commentariis ſuis eruditiſſimis ad Prouerbia Salamonis Cap. 25. v. 20. pag. 334. Edit. Lugd. Batav. Ann. 1748.

Chemicis, Leidae me olim fuiſſe gratiſſima mente & memoria recolo, adnotare liceat, characterem primum Nitri vulgaris ac proprietatem; a Nitro veterum ſeu Alcalino noſtro, prorſus non differre. Certe apud nos, Nitri vulgaris recentiorum, & Nitri veterum; eadem eſt Mater & locus ſeu ſedes; id eſt vtraque ſunt foſſilia. Nitrum vulgare apud nos, non ars: ſed natura facit, dum in areis Nitrariis, calente ſole & flante Euro, inſtar pulueris cretae: copioſe in ſuperficie albicans conſpicitur. Foſſile eſt Nitrum vtrumque, neque ex putrefactione vegetabilium, aut animalium naſcuntur: vt paullo ante cumulate oſtendi. Reliqui characteres, a Celeberrimo Viro enumerati: firmo ſtant talo.

§. LXVI.

Tandem vero tempus eſt, vt id quoque demonſtrem ſali huic noſtro alcalino foſſili, merito nomen Salis Nitri, a me inditum fuiſſe. Nam.

1° Vtriusque Nitri tum vulgaris, tum hujus alcalini, eadem eſt matrix: nempe humus ſabuloſa intra vel extra villas, pagos, in campis etiam apertis & patentibus ſub dio: qui ab excrementis animalium, pingues non redduntur.

2° Humus ſabuloſa, manu examinata, tacta, immo & oculis conſpecta: nullo modo

ſolo

ſolo viſu cognoſci poteſt, an Salem Nitri vulgarem noſtri temporis habeat in ſinu; vel alcalinum Saponarium? Color vtriusque humi puluerulentae eſt primo flaueſcens parum, poſt ſubcinereus, & aliquantum ex albo coeruleſcens. Quin etiam, talis puluis humi ſabuloſae ſi lingua guſtetur: vix aliud, quam ſaporem confuſum, alicujus ſalis exhibet.

3° Si ex tali puluerulenta humo, lixiuium fiat, tum hoc tamdiu coquatur, donec pellicula in ſuperficie quaedam adpareat; ac deinceps in locum frigidum reponatur: ſic excutiuntur cryſtalli ſalinae, albicantes, oblongae, parallelepipedae, atque vt plurimum hexagonae.

4° Cryſtalli hoc modo generatae ſplendent, translucent, in aëre non deliqueſcunt. Sic cryſtallos iſtas, vnciarum octo, quas ex lixiuio, humi ſabuloſae puluerulentae, Menſe Majo hoc anno 1772. paraui: adhuc menſe Decembri die 18. ejuſdem anni quo haec ſcribo, non deliqueſcebant: quamquam ab eo tempore, ſemper in ambulacro domus meae, in eadem patina in qua cryſtallizatio facta fuerat, continuo haeſerit. Ambulacrum vero vnius hexapedae & amplius latum, nec non XII. hexapedarum longum eſt, ac radiis ſolis prorſus expoſitum, ventisque cum primis autem Auſtro, obuerſum eſt: ſolaſque pluuias arcet. A pauimento ipſo, ad trium pedum altitudinem, patinam, in qua cryſtallizatio facta fuit, nunc in feneſtram, mox ad periſti-

lium (para per Bruſt-Wehr) collocavi, vt & ventis, & radiis ſolaribus liberrime pateret. Neque ſi tempus pluuium, vel nebuloſum fuerat, aut ningebat, vnquam ex ambulacro in domum tranſtuli: viſurus quid huic ſali in cryſtallos redactae, accideret.

5° Dum tempus pluuium fuit, vel ningebat cum admixta pluuia, aut nix decidua; ſtatim colliqueſcere cepit: tunc aliquomodo humidae cryſtalli adparebant: nec tamen deliqueſcebant: ita vt intra ſpatium octo menſium, valde exiguum de quantitate ſua amiſerint. Ex hoc Experimento laetus didici, ſal hoc Nitri alcalinum, in cryſtàllos redactum: poſſe in dolia compingi, atquae aliorſum tranſmitti. Tale autem ſal alcalinum, non modo ad Saponem conficiendum: ſed etiam ad lanas mundandas, tingendas, atque ita ad varios vſus opificum bene multorum, qui cum lana, lino, cannabe, terris, coloribus artem ſuam exercent: cum ſumma vtilitate adhiberi poſſe: vt jam de vſu ejus chirurgico, aut etiam Medico, vel Chemico taceam.

6° Vtraque Species Nitri, cum Recentiorum, tum hoc noſtrum alcalinum, ſeu veterum. a ruſticis collectoribus & Nitrariis, eodem tempore id eſt ab initio Menſis Maji, ad finem vſque Septembris colligitur. Reliqua pars Anni, huic collectioni, imprimis frigida, & dum gelu durat inepta eſt. Pulueres autem humi ſabuloſae ſemel collecti, ſi in camaras vel domus, aut ſi ſub tectum ponantur: etiam

intra

intra annum & amplius conſervati: ſuum ſalem retinent: ac ſi ex his lixiuium paretur: cryſtallos ſalinas arte tractati exhibent.

7° Sumſeram harum cryſtallorum alcalinarum certam quantitatem: hanc cum ſulphuris vulgaris aliqua quantitate ſuper carbonibus candentibus in vaſe fictili fudi, colliquationi expoſui. Haec maſſa deinde, libero aëri expoſita: in duritiem lapideam abiuit, eadem prorſus modo, vti Plinius de Nitro ſui temporis adnotauit: de qua re §pho praecedenti 64. egi. (a)

Ex his proinde rationibus adductis, *Sali noſtro Debrecinenſi Saponario:* nomen *Nitri Alcalini foſſilis* tribuere non dubitaui. Jure an injuria id fecerim? eruditi Phyſici, qui arcana Naturae feliciter indagant, judicabunt. Meliora & rectiora docentem; lubens ſequar. *Si* forte in hac re a me erratum eſt: pleniſſime id mihi perſuaſi, viros eruditos & modeſtos, absque bile & felle correcturos. Reliquam enim turbam, qui nihil ſine ſatyra ſcribere poſſunt: nihil moror. In magnis vel voluiſſe ſat eſt.

(a) Plinius Hiſtoriae Naturalis Libro XXXI. Cap. XLVII. pag. 566. Tomo II. *Sal Nitrum ſulphuri concoctum: in lapidem vertitur*

CAPUT VIII.

De Natura Salis Aquarum Varadiensium.

§. LXVII.

Posteaquam Capitibus VI. & VII. naturam Salium satis clare exposui: nunc jam non erit difficile definire: ad quod salis genus illud referendum sit; quod in aquis his salutaribus Magno Varadiensibus hospitatur? *Sal Medium* seu *Neutrum*, id esse: experimenta Capite III. & IV. adducta: copiose ostendunt ac demonstrant Attamen hoc sal, non vsque adeo magna copia in his aquis delitescit: Inprimis autem in Thermis Episcopalibus parciore quantitate: quam in Thermis Felicis sal hoc medium reperitur. Ex aliquot enim librarum aqua, quam ex fonte ad Episcopum pertinente hauriri jussi: vix aliquot grana hujus salis Medii lucrari potui. Periculum feci aliquoties hujus fontis; aquas euaporationi conmittendo: quis effectus sequeretur? Quamquam enim satis temperatum ignem admoui, vt aqua in vas aliquod effusa, in vapores abiret: nunquam tamen pellicula quaedam, vel cuticula in superficie aquae adparuit, dum jam circa finem laboris, pauxlllum aquae in fundo vasis haereret. Tale residuum aquae, quod parcissima quantitate in fundo vasis restabat; in cellam frigi-

dam

dam eo fini repoſui: ſi forte aliquas cryſtallos ſalinas indipiſcerer. At omnis ille labor, quem impendi: fruſtraneus fuerat. Quum hac ratione, nihil profectum fuit, poſtea id egi vt calore lento vaſi ſubjecto, in quo aqua reſidua haerebat: omnem aquam disjicerem. Explorabam proinde, quid in fundo vaſis relictum fuiſſet? Manſit nempe terra ſalſa, vel ſi mavis ſal: quantitate perexigua. Hoc ſal, tentaminibus Phyſico chemicis, eodem modo, vti §. LXIV. expoſitum fuit, ſubjectum: omnes dotes ſalis medii exhibuit. Id tamen ingenue confitendum eſt, ſal hoc ita medium vel Neutrum eſſe: vt nihilo minus, plus alcalini, quam acidi in ſinu ſuo habeat. Atque ita, vires quoque Medicas harum aquarum, inter cetera hinc debere aeſtimari. Plus proinde ſalis Medicati, aquae Felicis, ſub eodem volumine in ſe conprehendunt: quam Epiſcopales. Atque inter fontes illos etiam, qui in Thermis Epiſcopalibus reperiuntur: plus omnino ſalis ſalutaris in fonte illo, vbi ſtatua S. Ladislai poſita eſt; quam in ceteris fontibus ejusdem loci reperitur. Haec vero omnia, ita ſe habere oſtendunt: tum pondus ipſum aquarum, ad bilancem examinatum; de qua re ad § XIX. egi: tum etiam copia ſalis: quae ope euaporationis ex his fontibus habetur §. XXI. numero 14.

§. LXVIII.

Paucissimi vero sunt, qui certo consilio, ista balnea adeant. Maxima enim pars hominum, delectationis, aut corpus abluendi gratia isthuc venire consueuit. Dolendum vero est, omnes fere in vniuersum illos, qui has Thermas frequentant: pro vsibus externis solum aquas earum adhibere; vt nempe sordes corporis abluant. Ex arce quidem Varadiensi, milites praesidiarii, si qui forte eorum, scabie infecti sint: non raro a chirurgis castrensibus, eo fine isthuc mittuntur; vt per aliquot dies, illic moram trahendo, corpus balneo frequentissime immergant. Nec infelici successu. aduersus morbos quosuis cutaneos; balneum harum vsurpabitur: si prius corpora aegrorum, remediis purgantibus, inprimis vero hydragogis mundata fuerint. Cetera proinde hominum turba: coeco quasi inpetu, ad ista balnea rapitur. Quotus quisque enim inter eos est, qui peritos Medicos, ante consuleret; num ipsi e re sua futurum sit, si has aquas adeat: vel vero vsu earum abstineat? num hae aquae, vel saltem, fine corpus abluendi salutares, vel vero noxiae futurae sint? Qua tempestate anni? qua denique ratione, in vsum deuocari debeant? Aut si his thermis vti omnino necessarium sit: in cibo & potu, vel in lauando, & ceteris quae eo spectant: quod regimen obseruare debeant? Hoc si populares nostri facerent: non tot proh dolor, fatum suum maturarent! Quorum satis prolixum, sed tristem ca-

catalogum illi conficere difficile non erit: qui homines noſtros, his balneis inprudenter vtentes, examinabit. Atque inter reliqua, hoc omnino, illud SENECAE Tragoedi, locum habere videtur, (a) vbi chorus Thebanorum, hoc epiphonemate vtitur, ad reprehendendam proteruorum temeritatem:

Quid juuat, durum properare fatum?
Omnis haec magnis vaga turba terris
Ibit ad manes, facietque inerti
Vela Cocyto. Tibi creſcit omne,
Et quot Occaſus videt, & quod Ortus.
Parce venturis: Tibi MORS paramur.
Sis licet ſegnis; PROPERAMUS IPSI.

§. LXIX.

Quum proinde, vſus harum aqaarum tam facile iis qui his imprudenter vtuntur, noxius eſſe poſſit; ſaltem caſus iſti triſtes, qui quandoque illis accidunt, qui eo ſeſe integra, vel adfecta valetudine conferunt: alios admonere poſſent; vt cautius ſeſe abluere diſcant. Non raro

(a) Seneca Tragoed. in Hercule furente v. 867. & ſequ. ex edit. Thom. Farnabi Amſtelod. Anno 1656.

raro enim fit, vt ii, qui perfecta sanitate vtuntur, post vsum hujus balnei imprudenter susceptum: morbidi domum redeant. Neque omnino id nouum est, vt ii, qui jam diu febribus lentis, aut hectica, vel phtisi, tabe consumti sunt: post vsum hujus balnei solum externum; intra paucos postea dies, vel in itinere ipso, dum hinc domum redeunt, moriantur. Hujus rei exempla bina recentissima: paullo, post commemorabo. Neque tamen moderato & salutari vsu vini, oenopotae idcirco abstinebunt, quod videant, quosdam helluones, ac ventri, gulaeque deditos, propter scyphos Bachi largius haustos, in aquas stygis se praecipitare, & inuisas sibi cupressos maturare. Norunt enim illud Ouidii.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt
Et data non apto tempore vina nocent (†)

Verum si prudens, harum aquarum externus vsus, multis saluti fuit; quid de earum vsu interno cogitandum est? Si prudens monitor & consultor prius accedat. Certe quod in desperatissimis morbis, ex vniuersis Apothecarum forulis sperare non licet: id vero a prudenti & in tempore interne adhibito harum aquarum vsu, ex Diuina benedictione exspectare licebit Hujus rei fidem faciant, paucissimae illae, quas jam ab aliquo tempore institui, propriae Obseruationes Medicae. En igitur illarum quasdam subiungam.

CAPUT

(†) Ovidius de Remedio Amoris.

CAPUT IX.

OBSERVATIONES MEDICÆ.

De vſu ſalutari, aut etiam noxio Fontium Varadienſium.

§. LXX.

OBSERVATIO I.

Fuit apud nos hic Debrecini, Vir ſenatorii ordinis, qui jam ſatis longum & diu doloribus podagricis conflictabatur. Hinc ab eo, Menſe Aprili Anni 1752. conſultus fui, quomodo malum illud lenire poſſet? Jacebat vero jam vltra menſes octo, lecto defixus. Porrectis igitur congruis remediis, quibus per dies decem & quatuor vſus fuit, ſic vires recollegit, vt primum ſedere, mox etiam cum quadam difficultate greſſus aliquot facere poſſet. Suadebam proinde, vt menſe Majo in Thermas Felicis, cujus aqua tepidior eſt: ſe deuehendum curaret. Paruit iis conſilio. Aquas igitur ejus, methodo a me eidem praeſcripta, per dies viginti & vnum potauerat. Poſtremis vero

ro diebus quinque: etiam bis per diem, vacuo ſtomacho in balneum per vnum quadrantem horae, vel vti vires corporis ſinebant, ſe ſe demittebat. Quoties autem coelum erat ſudum, & tempeſtas ſerena: ſtatim rheda vectus fuit, poſt hauſtum aquae, donec ad fontem rediit, vt denouo potaret, & rurſus curru abiret. Nonnunquam vero deambulando motum corporis inſtituit. Iſta curatione abſoluta, illinc a thermis ſanus, & a podagra prorſus liberatus domum rediit: nec poſtea a doloribus podagricis, vnquam aliquid moleſtiae ſenſit. Tandem, Anno 1759. in atrophiam incidit, ac Menſe Julio d. 11. Anno aetatis ſuae LXXIX. maraſmo ſenili, diem obiit ſupremum.

§. LXXI.

OBSERVATIO I.

Eſt honeſta matrona, plurium liberorum felix mater. Haec dum eſſet annos fere 25. nata, & ſimul habitu corporis pingui, ſed moeroribus nimium indulgens: in varios morbos incidit. Paſſa fuit primum dolores hyſtericos graues. Poſtea Melancholia Hypocondriaca, vſque adeo graui adfligebatur: vt per aliquot hebdomades etiam vſus rationis apud ipſam, valde debilis, ac quandoque etiam ſtatus mentis, admodum perturbatus eſſet. Hinc nata fuere infinita mala: triſtitia profundiſſima, metus, ſtudium ſolitudinis, conſilium fuga ſe proripiendi in loca ſecreta; aut etiam ſolitudines,

cet.

cet. Dato proinde consilio, in Thermas Felicis Anno 1755. sub finem Mensis Aprilis deportata fuit. Cujus aquas, ex methodo sibi praescripta, primum quidem parcius, postea vero auctis gradibus copiosissime potaret: nec tamen balneo aquarum corpus immitteret; donec mens pacata, & paullulum confirmatior redderetur. Id obtinuit fere post viginti dies. Tandem vsa est etiam balneo bis per diem. Non tamen vltra quadrantem horae calidae ejus aquae insidebat: ne sanguis in orgasmum concitaretur. Interea quoque, continuabat potum hujus fontis calidi, dum extra fontem versabatur: sed jam in minori quantitate, quam antea, sub ipso autem aquarum vsu: egregie per aluum & vrinam purgata fuit: & tamen absque vlla virium corporis, vel adpetitus ciborum jactura. Imo vero, postremis diebus, voracior facta est: ita quidem, vt aegrae fames coërceri posset: sic triginta diebus ad fontem exactis corpore & animo sana domum rediit: ac hodie dum, id est Anno 1772. mense Decembri bene valet, vigetque.

§. LXXII.

OBSERVATIO III.

Filia cujusdam Viri Nobilissimi, annos septem nata, ex graui catarrho, qui cum tussi ferina saeuiebat: in aliud malum longe periculosius incidit. Sub aure enim sinistra, fluxus iste catarrhalis, formauit abscessum, oui fere galli-

gallinacei magnitudine. Poſtquam tumor aliquantum maturuit, ac in pus conuerti cepit: ſua ſponte in apice ejus foraminulum ſe ſe aperuit; per quod pus lentiſſime plorabat. Plane eo tempore puellae parens, domo diſcedere cogitur. Is Chirurgo vocato, curam filiae ſuae tradit. Et quoniam nondum tumor ad maturitatem peruenit magnaque durities hinc inde obſeruabatur, chirurgus jubetur, vt per vnum, vel alterum diem: adhuc cataplaſmatibus emollientibus ad majorem maturitatem, tumorem illum perducat: atque tum, absque vlla dilatione cultello quo vena inciditur, fere dimidii pollicis aperturam faciat; neque vllam deinceps moram necti debere, ne pus diutius illic haerens, partes vicinas corrumpat. Neque enim tutum eſſe, foramini exiguo: rem committere. At Chirurgus crudeli miſericordia ductus: tumorem illum aperire neglexit. Dum ſic abſceſſus ſibi ipſi relinquitur: interea pus in eo collectum ſub cute, ſenſim ad collum, prope ad venam iugularem ſe ſe dimittit: vbi nouum rurſus abſceſſum format, ac erumpit. Neque tamen hoc loco, malum ſerpens ſubſtitit. Viam enim ſibi nouam, pus effuſum ſub cute, quaeſiuerat. Decubuit igitur pus ſub cute ſerpens, ad pectus ipſum; & quidem prope ad ſternum, juxta coſtam tertiam. Tum interjecto tempore aliquot menſium, inter coſtam ſextam & ſeptimam in vicinia cartilaginis xyphoideae, in latere dextro: abſceſſus nouus natus fuit. Hic poſt maturationem apertus tumor: pus fudit copioſum. Vlcus igitur illud, quod infra aures primo enatum fuit: interea

terea cicatrice obductum fuit. At loco vlceris vnius; tria poftea vlcera aperta, puella habuit: fupremum nempe in collo, & duo in pectore. Res autem fic in peius fingulis diebus ruebat, vt dum puella identidem tuffiret; frequenter omnino accidebat, vt ex fingulis vlcerum foraminibus, ita pus exfiliret, dum emplaftra remota fuere: quafi ex imo pectoris, fyringa aliqua, fanies corrupta violentiffime truderetur. Durante toto hoc morbo, tuffiebat puella frequentiffime, & fere cum conuulfionibus. Quidquid vero alimenti adfumferat: id omne in pus verti videbatur. Sputa praeterea fpiffa, aliquantum albicantia inftar vifci, vel glutinis, in maxima frufta concreta, fumma cum difficultate ejecit. Vbi ab his fputis vifcidis liberari potuit: vix intra breuiffimos anhelitus refpirabat; metusque femper aderat fubitaneae alicujus fuffocationis. In hoc deplorato ftatu, filiam fuam Chirurgo commendatam: domum poftea redux Parens inuenit. Nihil non poftea intentatum relictum eft, vt mifere adflicta puella, his malis liberaretur. Tentata fuere blandiffima laxantia ex manna, & aliis mitiffimis; vti Tamar-Indis, item decocta, & infufiones, quae humores mundarent, detergerent: nec non balfamica. Nec injectiones traumaticae fuerunt neglectae. Victus ordinatus fuit ftatui morbi conueniens. Immo cum non leuis fufpicio adeffet, illis vlceribus fubjectas coftas, ac etiam cartilagines in pectore; carie erodi, corumpi: decocto etiam Guajaci, ad mentem BOERHAAVII, vltra tres menfes vfa fuit. Non raro enim, crefcente

demum vi morbi: nigricabat pus, ac teterrimum foetorem spargere cepit. Conflictabatur vero hoc morbo puella vltra sesquiennium. Remedia vero interea, vti decocta, infusa, injectiones balsamicae &c. irrito conatu adhibita fuere. Vis enim mali fortior: omnem remediorum vim eludebat. Quare morbus eo vsque ingrauescebat, vt miserae istius puellae spina-dorsi, antrorsum incuruari, vertebrae in dorso prominere, corpus totum emaciari inceperit sic puella, paullo antea habitior: juncea prorsus facta fuit; adeo, vt vix ossibus haereret. Quin a ceruice ejus, vsque ad nates, juxta vertebras spinae-dorsi: confertim excrescebant, pili, vltra sesqui pollicem longi. Id quod indicium fuit, extremi conatus naturae: cum tanta atrophia totum systema corporis laboraret, vt quidquit cibi & potus adsumeret: id omne in pus verti videretur.

In tam conclamatis proinde rebus, vbi nec Pharmaceutica nec Chirurgica, quidquam auxilii amplius promitterent: auctor exstiti, vt moestissima mater, filiam tam misere adflictam, ad Thermas Felicis secum deduceret. Antequam vero id fieret, prius blandissimo laxante corpus mundatum fuit. Quare mense Majo Anni 1769. scripto consignatum a me consilium, in manus Matris ejus dedi, quo modo Aquis Medicatis Felicis vti? qua ratione potum ejus, ex fonte ipso hauriendo inchoare, tum continuare, ac tandem finire deberet? Monui nempe, vltimis quinque diebus, etiam balneo illarum aquarum, puellam vti posse: bis per diem in laua-

crum

crum descendendo, & non nisi spatio vnius quadrantis horae, illic commorando, sic post triginta dierum, accurate: institutam curandi methodum, puella ista, quae in faucibus Libitinae haeserat: sanitati restituta est, ac vlcera etiam illa tria, vnum in collo, & duo in pectore, circa finem curationis sponte coaluerunt. Tussis quoque omnis, penitus sublata fuit: corporis nutritio & color faciei naturalis, brevi redierê, nec vlcus vnquam amplius, in hunc vsque diem recruduit: sed hodiedum illa, sana ac colore roseo albicante gaudet. Id vero minime negligendum puto, crustam illam, qua vlcus in collo magnitudine vnius pisi, grandioris, obductum fuit: fere per biennium non decidisse. Monui tamen puellam, vt sedulo sibi attenderet, ne quo modo illinc, crusta illa auelleretur. Id quod religiosissime obseruauit. Vnde id fuit consecuta, vt tandem sponte illinc decideret, ac sine vlla ruga, aut macula, locum antea adfectum, pulcre nitentem ac albicantem relinqueret: ita vt hodie, ne Medici quidem oculus diuinare possit; vbi olim crusta illa vlceris haeserit. Si quando autem sub aquarum vsu, alvus non satis promte respondisset: tum in primo poculo fontis calido quod mane sumebat, dissolui jussi salis Sedlicensis drachmam vnam: & postea Methodo praescipta, potum aquae continuari jussi, sic alvus manebat quotidie aperta. Diaetam praescripsi non valde adstrictam, solum a caseo, fumo induratis, muria conditis, & quorum concoctionem stomachus difficilius ferre potest: ea devitanda esse consului.

§. LXXIII.

OBSERVATIO IV.

Habebam inter discipulos meos quemdam, cognatione aliqua mihi junctum, tum Theologiae, & Philosophiae studiosum, qui annum fere aetatis vigesimum agebat. Hic ex dispositione haereditaria a Patre accepta, corpus ad malum scorbuticum valde procliue habuit. Non modo enim pars capillata capitis, frequentissime vehementer intumuit: sed etiam facies & collum, cum tumore rubicundo splendente inflabatur. Gingiua quoque, facile sanguinem plorabat. Postea vero vbi capitis tumor detumuit: instar furfuris & squammularum, cutis faciei decidebat. Quin in artubus, imprimis circa juncturas, hinc inde rubores, non multum priori dissimiles, quandoque sese monstrauerant. Familiaris vero morbus ipsi esse cepit, suffusio oculorum sanguinolenta; vehementer dolens, & lumen, multum refugiens. Quamquam nec cibis salitis, acidis, fumo induratis, vel acribus, aut caseosis, nedum allio, vel caepa vteretur. Hunc igitur consilio instructum, ad Thermarum Felicis aquas potandas Anno 1760. Mense Majo dimisi. Hic post duarum hebdomadarum vsum: illinc salvus, ac sanus domum rediit: Nec postea dum hic fine studiorum commorabatur, adfectio erysipelatodea, aut oculorum suffusio rediit: quin etiam dum in Germania & Belgio, studiorum caussa degebat: ab hoc malo immunis fuit.

fuit. Biennio post reditum in patriam, dum Professoris munere functus fuit, significauerat mihi per litteras, leuem quandam adfectionem tumoris faciei, se per aliquot tempus obseruasse. Id quod crassiori diaetae & caseo acri: in acceptis ferre debuit. Id praeterea adnotare debeo, vix septem diebus potuisse eum aquis Felicis vti; propter milites scabie infectos, qui ex arce Varadiensi in has Thermas missi fuere. Quare hinc in thermas Episcopales transiit: atque ex consilio meo illius fontis aquas, vbi statua Sancto Ladislao posita est potabat, sub vsu autem aquarum Felicis, intra viginti quatuor horas, quandoque sexies & vltra, alvum ei fuisse subductam, narrauerat. Potus aquarum, S. Ladislai, minus sollicitauerat allvum. Etsi vero tam frequenter laxata fuerat alvus; fiebat tamen id absque vllo virium aut adpetitus ciborum defectu. Imo sic aucta fuerat ciborum fames, vt ventri moleste imperioso: difficulter satisfacere potuerit. Per vias quoque vrinarias, egregie, ac satis copiose se purgatum: laetus commemorauerat.

§. LXXIV.

OBSERVATIO V.

Perillustris Matrona, annorum fere septem & triginta, laborauerat ictero nigra. Praeter haec, jam a pluribus annis, obstructione alui, & adpetitu ciborum prostrato; nec non capitis dolore vexabatur. Insuper dolores vagos

 sen-

ſenſerat, in artubus, horumque juncturis frequentiſſime. Quin non raro, mox in carpo manus, jam circa cubitum, denique etiam in fronte: protuberantias oſſis dolentes experiebatur. Tumores illi, non nunquam etiam nucem dimidiam: magnitudine aequabant. Poſt quam vero per remedia congrua, a me praeſcripta, moleſta illa ictero liberata fuit: id conſilii dedi, vt menſe Majo anni 1768. in Thermas Felicis ſeſe conferret: harumque aquas in vſus internos deuocaret. Difficulter quidem ſe in id induci paſſa fuit. Et quis miretur, ſi delicatiores, ab hujusmodi aquarum potu abhorreant! Neque enim vsque quaque volupe eſt, aquam ex fonte illo, vbi homines ſe abluunt hauſtam, ad marginem caueae vel lauacri ſtando, calide potare: vbi vapore graui, tota area oppleta eſt, & cujus odor, caput ipſum temulentum quaſi reddit. Taceo id, in hujusmodi lauacris, quot morborum generibus, iisque ſaepe ſordidis inquinati: ſemet abluere conſueuerunt? Haec dum quis animo tacitus apud ſe voluit: non facile cujusquam ſaliuam, talis aquae potus ſollicitabit. Quare Reuerendiſſimum Praepoſiturae Varadienſis Adminiſtratorem, EHENGER, rogaueram, vt in ſuperiore parte fontis, puteum, ex lapidibus caeſis parari juberet: vnde aqua ſolum in vſus internos hauriri poſſit. Hac ratione, vti munditiei: ſic palato honeſtorum, optime conſuleretur. Promiſerat etiam: ſe omnino id facturum. Vicit tamen ſanitatis amor ſaporem palati; in Matrona honeſtiſſima. Tribus hebdomadibus, lege ſibi praeſcripta,

pta, aquis Felicis: ad fontem ipſum vſa fuit. Aluus quae natura obſtructionibus laborare conſueuit: ſub ipſo aquarum vſu, ſemper manebat aperta, ita vt non raro bis per diem funderetur. Rediit inde ſana. Neque vsque ad anni 1771. Menſem Aprilem, dolores artuum, vel oſſium moleſtabant. Suaſi rurſus, vt Menſe Majo ad eundem fontem Anno 1772. veniret, ſed quia infantem trimeſtrem lactauerat, & alia domeſtica incommoda impediebant: hanc curationem, in aliud tempus differre coacta eſt.

§. LXXV.

OBSERVATIO VI.

Puella ſex annorum, cujusdam Perilluſtris Viri, in comitatu Bihارienſi Anno 1770. Menſe Martio ad me delata fuit. Hujus ſpina dorſi, ſic extrorſum incuruata fuit, circa regionem renum: vt ſe erigere, aut ſtare prorſus non poſſet. Jacuit ergo Supina totos dies, in ſinu blandiſſimae Matris. Difficultas ſpirandi ſumma fuerat, anhelitus graues, tuſſicula frequens, emaciatio corporis horrenda, febricula lenta, continua. Hanc poſtquam a caloribus nimiis & aſthmate, vtcunque liberaui; porrexi parca doſi etiam quaedam remedia, anthelmintica. Hoc modo aliquot lumbricis teretibus longis, atque etiam magna copia vermium cucurbitinorum: liberata fuit, ſic aliquantum leuatam, abſtulere domum. Quibus ſimul, id conſilii

 dedi,

dedi, vt ſequenti Majo, ad fontes calidarum aquarum Felicis de ferrent: quas methodo a me praeſcripta eidem porrigerent. Fecere id quam lubentiſſime: quum haec vnica ſolum proles eſſet; quam ceteris omnibus amiſſis, adhuc ſuperſtitem habebant. Tres proinde hebdomades & paullo aliquid amplius, ad fontem tranſegerunt. Hujus conſilii, hic erat fructus, vt puella, quae jam etiam vſum pedum, vsque adeo amiſerat, vt plusquam a tribus menſibus ſtare, aut greſſum vnum facere non poſſet: tamen ſub finem curationis, ad fontem ipſum, ſine vllius auxilio erecta ſtare, ac ſtupentibus Parentibus, & cognatis, qui adfuere: etiam ſatis diu ſine moleſtia ambulare poſſet. At per breue fuit, hoc Parentum gaudium. Poſtquam enim illam domum abduxere, ac Menſe Junio fructus horraeos, & inter cetera ceraſa, item fraga terreſtria, pira &c. Parentes eidem indulgerent, neque alios cibos niſi ſolum fructus & lacticinia ſumeret; hinc rurſus in febrem continuam incidit: vnde priora mala vti aſthma, tuſſis &c. longe atrocius redibant. Tot malorum igitur grauitate victa; circa finem menſis Julii, haec vnica ſpes Parentum occidit. Quae cuncta moeſtiſſimi parentes, poſt obitum natae ſuae, mihi expoſuerunt. Vel hic vnicus tamen caſus, quid hae aquae ſalutares, prudenter vſurpatae, etiam in morbis deſperatiſſimis neruorum poſſint: cumulatiſſime oſtendit: ſimulque Phyſicos & Medicos monet, vt hujus fontis, vti & aliarum in Hungaria aquarum ſoteriarum vires, amplius quoque & diligentius inue-

inueſtigent; pluraque tentamina ac obſeruationes inſtituant.

§. LXXVI.

OBSERVATIO VII.

Sub finem Menſis Octobris Anni 1771. conjux cujusdam Locum tenentis ex J. Regimine Deſultoriorum Seriniſſimi Ducis Mutinenſis Junioris, altera hebdomade poſt partum, in profluuium ſanguinis copioſiſſimum inciderat. Per ſex hebdomades hic Debrecini, curam ejus habuit Chirurgus ejusdem Legionis. Quum vero malum in veram vteri haemorrhagiam degeneraſſet, & nihil aliud niſi praeſentiſſima mors exſpectaretur: tum Illuſtriſſimus Comes & Colonellus ejusdem Regiminis, per Centurionem quendam ad me miſſum honeſtiſſime rogauerat, vt fere animam agenti mulieri, id ſi fieri poſſet, ſuppetias ferrem. Haec enim ejusdem coniugis Illuſtriſſimae Comitiſſae Cameraria fuerat: quae anno ſuperiore 1770. menſibus Februario & Martio, dum illa ex variolis confluentibus laborauerat, ſed quae mea opera rurſus priſtinae valetudini reſtituta fuit: vtiliſſimam operam collocauerat. Ipſa Comitiſſa, quae hanc Locumtenentis conjugem elocauerat: totos dies, lecto patientis adfixa ſedebat. Vt deſiderio eorum ex aliqua parte ſatisfacerem: aegram viſitaturus acceſſi. Illam vero fere animam agentem, quae etiam a Sacerdote, jam ſacro viatico prouiſa fuit inueni.

In grauia Animi deliquia incidebat frequentissime: omniaque signa conuulsionis Epilepticae simul adfuerant. Post congrua remedia porrecta, contra omnium exspectationem, ita illa conualuit, vt cum die tertia Martii, seu die vltimo Bachanalium Anni praesentis 1772. publicas epulas Illustrissimus Colonellus exhiberet: haec etiam omnibus stupentibus, choreas duceret. Quum vero vehementer sibi metueret, ne dum tributum lunare ipsi dependendum est: denuo in similem haemorhagiam vteri incidat, eo quod Mense Aprili, forte duo frusta sanguinis concreta, nucis avellanae magnitudine, tempore purgationis menstruae obseruauerat: hinc Auctor ei fui, vt Mense Majo; Aquis Felicis vteretur: quas in vsus internos adhiberet; sic enim confidebam fore, vt obstructiones vasorum vteri reserentur, impura & sordida eluerentur; dejectae vero tensioni vel tono in ligamentis, vasibus & musculis vteri, elasticitas naturalis redderetur. Adiit igitur fontem illum eoque cum successu bibit: vt ad Mensem vsque Decembrem, quo haec scribo: nihil mali quoad vterum passa fuerit: immo, omnino jam vterum se denuo ferre existimet. Durante vsu aquarum Periodicus Mensium fluxus, eidem ad fontem ipsum superuenit. Interea jussi, vt a potu aquae abstineret: fluxu autem cessante, vsum ejus continuaret. Hac ratione id fuit indepta, vt mensium fluxum experiretur prorsus naturalem, & absque vlla molestia praeternaturali. Mulier annum aetatis vicesimum nonum vel trigesimum agere videtur: corpore non obeso: sed nec prorsus emaciato: licet

gra-

gracillimum a natura habitum, & fabricam corporis ad ſiccitatem vergentem acceperit.

§. LXXVII.

OBSERVATIO VIII.

Idem Locumtenens, cujus paragrapho praecedenti mentionem injeci, triſtem caſum Menſe Octobri Anni 1771. perpeti debuit. Quum enim, vt officii ratio poſtulabat, milites reliquos gregarios exerceret, vehementius equum, cui inſidebat concitaſſet: ſic equus ſimul cum ipſo prolapſus eſt; vt ex tam graui alliſione in terram, brachium ſiniſtrum ac os ſcapulae, luxationem paterentur. Praeſto fuit Legionis Chirurgus, qui vtraque reponere ſtuduit, ſed praepoſtera methodo curationis id effecit; vt vix menſe Februario brachium mouere poſſet. Dum autem ego, propter conjugem ejus grauiter decumbentem, domum ejus viſitaſſem: hunc maritum ejus jacentem, & miſere adflictum vidi. At quoniam Chirurgi curae commiſſus fuit: quid cum eo ageretur nihil mea intereſſe judicaui; nec de eo, quid cum eo ageretur percontatus fui. Ille contra dum videret, conjugem ſuam conſilio meo ſanitati redditam fuiſſe, ſe autem in deterius ruere; tum venia a Legionis Illuſtri Legato ſeu Colonello impetrata, Menſe Aprili conſilium meum flagitauit. Nulla fuit ratio, cur id Viro Juveni, qui a natura, militiae deſtinatus eſſ, videbatur denegarem. Brachium ejus ſiniſtrum

quod

quod laesum fuit, jam in atrophiam incidere cepit; ita quidem, vt quoad crassitiem, quatuor vel etiam quinque lineis vnius pollicis, brachio dextro tenuius redditum fuit: etsi quoad cibi & potus adpetitum nihil fuisset; de quo conquereretur. Vires autem vsque adeo perdiderat, vt sinistra, duas aut tres vncias non loco mouere aut tollere, manum vero ipsam non vltra regionem umbilicalem in altum tollere posset; idque non sine ingenti ossis brachii & scapulae dolore. Remotis igitur Spirituosis, nec non Tincturis, & id genus aliis, quo brachium adfectum, huc vsque inungebatur: fomenta & cataplasmata ex plantis congruis adhiberi jussi: nunc autem vt infuso Theiformi, perspirationem cutaneam promouente vteretur, commendaueram.

Hoc modo dolor, insigniter leuatus fuit, & brachium adfectum facilius aliquantum mouere potuit. At fere nulla spes fuit, vires brachio, & huic vsum antiquum, restitui posse. Adhibui duos peritos chirurgos Castrenses, qui me praesente examinarent; num os brachii & scapulae, in suo loco naturali sint? vel vero dislocatio adhuc aliqua adsit? Propter ingentem dolorem, & metum rupturae alicujus ligamenti, cum adhuc brachium nec antrorsum nec sinistrorsum cederet, item nimiam musculorum resistentiam: repositio tentari nec potuit; nec debuit. Quamquam vterque illorum, ea essent opinione, brachium & os scapulae: non esse ad suum locum naturalem repositum. Hac calamitate, tamdiu fatigatum proinde Locumtenentem

nentem: ad thermas Felicis, cum ſua conjuge, hoc eodem anno 1772. Menſe Majo dimiſi. Illic ex conſilio meo prima hebdomade, in vſus internos, ſolum aquas Felicis deuocabat, vnde aluus frequenter fundebatur. Poſtea, bis per diem balneo ſe immerſit, inprimis partem adfectam demergendo, lauando, fricando, & paullulum longius in lauacro commorando: id eſt donec ſine moleſtia ferre poſſet. Durante vero etiam iſta lauatione, nihilominus aquas ejus potauerat. Sic circa finem Menſis Junii, vsque adeo confirmatis viribus domum rediit; vt ſellas in domo mea, manu ſiniſtra tollere, hanc pone caput extendendo, etiam aurem dextram, eadem manu ſiniſtra, absque dolore prenſare poſſet. Rediit brachio huic etiam ſiniſtro, craſſities naturalis: ita, vt ſiniſtrum a dextro: ne craſſitie quidem minima differat. Sic iſte, qui jam in claſſem inualidorum a multis relegandus & exauctorandus videbatur, ipſeque ſibi non ex vana conjectura metueret: militiae Caeſareo Regiae, feliciter redditus fuit, omniaque munia, vti olim, absque vllo impedimento exſequitur.

§. LXXVIII.

OBSERVATIO IX.

Quid a prudenti, & tempeſtivo harum aquarum vſu externo, & interno exſpectandum ſit: exempla hoc vſque adducta, monſtrare videntur. At ſi quis opinione propria ductus,

his

his aquis temere ac imprudenter vtatur: trifles duo casus, quos hic subiungam, alios monebunt, & forte meliora docebunt. Vir Doctissimus, Philosophiae, ac tandem Juris Naturalis Professor Clarissimus, corpore sic satis obeso, prospera semper vsus fuerat valetudine: nisi quod propter humores in corpore abundantes nonnunquam pedes haberet oedematosos; quin aliquando etiam exulceratos: vnde ichor copiosus manauerat. Anno demum 1750 mense Aprili, infirmiore cepit vti valetudine: neque tamen idcirco a Lectionibus publicis habendis abstinuit. Tota fere aestate sequenti, languore corporis, & adpetitu ciborum prostrato, laborauerat. Non tamen vllius Medici consilium expetebat. Postea vt vires labefactatas recolligeret, mense Octobri, in vineam, quam Csatarini habebat: vindemiatum se contulit. Peractis vindemiis, nullius Medici sententia interrogata, in thermas Episcopales M. Varadinum, circa finem mensis Octobris abiuit. Erat vero tempestas frigida. Nunc enim ningebat; mox acri gelu, terra constringebatur. Sic moram in lauacro trahebat: ac se interdiu frequentius, ad diem quintum vsque Novembris, illic abluebat. Verum quia corpus non antea mundauerat, vel per aluum ducentia, aut alia remedia: nec venae sectionem jam a multis annis adhibuerat, licet vera plethora laboraret: stomachum vero materia cruda viscida plenum habebat: hinc peius se in dies habere cepit; ac mala omnia crescebant amplius. Quamquam vero haec incommoda, satis admonebant. vt a balneo abstineret: tamen

men frequentius per diem in lauacrum descendebat, ac quandoque integras horas in iis transigebat. Egressus vero, non statim lecto corpus commisit, vt sic sudores blande promoueret: sed statim aurae liberae ac frigidae semetipsum, & quidem non satis probe veste tectus exposuit. Hi tam graues proinde errores: morbum irritabant tanto vehementius. Id quum conjux ejus, & caeteri familiares viderent, vires corporis in dies prosterni: sic grauius aegrotantem, huc Debrecinum domum deduxere. Aquae enim calidae hujus lauacri: poros cutaneos egregie aperiebant ac dilatabant, sed dum postea statim aëri libero & aurae frigidae, ille vir doctissimus se commisit: fieri non potuit, quin iidem pori subito clauderentur ac constringerentur. Sic morbus ex irato, reddebatur furiosus. Omnis enim ciborum adpetitus, postea periit. Successere sitis continua, peruigilium, ructus, borborygmi in canali intestinorum vagi. Tunc primum deinde Medicorum opera implorata fuit: cum jam fere conclamatum est. Commendata sunt proinde decocta aperientia, tum mitissima laxantia, temperantia: at cuncta irrito conatu. Blande acida, nec non antiseptica temperatissima: nullum salutarem effectum edidere: verum omnes corporis humores, suapte in putredinem ruebant. Hinc id postea fiebat, vt in superficie cutis, liuores & maculae, quae se amplius sensim dilatarent, prodirent, succeffete his borborygmi, singultus, agrypniae: quam tristem tragoediam, ipsa mors die 6. Aprilis Anno 1751. clausit. Tam funestus ergo fuit, huic

Viro

Viro Celeberrimo; imprudens harum aquarum ſalutarium vſus: qui fatum ejus properauit, atque anno aetatis 57. in tumulum praecipitauit.


§. LXXIX.

OBSERVATIO X.

Perilluſtris quaedam Matrona, antea ſana, & quae, fere ſemper proſpera valetudine vtebatur: corpore ſic ſatis obeſo, jam ab aliquo tempore pedes habebat tumore inflatos, & inde a Menſe Aprili anni 1771. tuſſiebat vehementius. Adpetitus quoque ciborum valde fuerat imminutus. Quin eo vsque demum malum increuerat, vt cibos etiam ſumtos, ejiceret frequentiſſime. Vt ab his malis aliquomodo liberari poſſet, Chirurgi certi Caſtrenſis conſilio vti cepit. Porrexit is, vinum aliquod medicatum; non ſine vllo leuamine. Mox quidam Pharmacopola, Tincturas nonnullas dedit: vnde malum auctum fuit. Poſt haec, conſulto nemine, Thermas Epiſcopales, Varadinum Menſe Junio, ſe deferendam curabat. Hic per aliquot dies balneo vſa, vt languentem adpetitum cibi excitaret: mane vel ante prandium, paucum de Aqua vitae, quotidie capiebat: inter prandendum vero, vino Tokaienſi, loco potus ordinarii vtebatur. Verum dum haec factitabat: de die in dies, ſic malum increuerat, vt illinc diſcedere cogeretur. Quare dum Varadino, in Ciuitatem noſtram, Menſe Junio delata fuiſſet: ab ipſa & ejus cognatis, petitum

tum eſt conſilium meum. Dum illam in vicinia mea decumbentem viſitaueram, aderat febris continua, peruigilium, tuſſis inprimis nocturna, & matutina: eâque conuulſiua. Quidquid cibi, aut potus in ſtomachum demiſit: paulo poſt, id omne per vomitum rejecit. Atque vis febris continuae, tam vehemens fuerat, vt per ſeptem dies, vix compeſci potuerit. Sedato igitur aeſtu, per blanda temperantia: quotidiana febris intermittens ſeſe obtulit. Poſt quatuor dies, vis remediorum, quibus vtebatur effecit, vt facies morbi mutaretur, ac in tertianam abiret. Haec, etiam poſt aliquot dies, difficulter compeſci potuit. Superatis his febribus: diu tamen imbecillitas ſtomachi, cum conatu vomendi permanſit: ita vt ab his malis, non niſi circa finem Julii liberari potuerit. At interea ventriculo roborando, admota fuere fomenta, epithemata, cataplaſmata; & ſub epulis Elixiria vt vocant ſtomachica. Ventriculus enim, non cibos, nedum remedia vlla admittere voluit. Sic magna cum difficultate, adhuc hac vice, cymbam charontis effugere potuit: ac ad ſuos Domum abiuit. Poſtea menſibus Auguſto, Septembri ac Octobri: melius ſemet aliquantum habere videbatur. At deinceps, phtiſis vt mihi a ſuis relatum eſt, in ſummo gradu caput extulit: quae ipſam domi ſuae, vltimo die feſtorum, quo dies Natales Chriſti anno 1771. celebrabantur; tumulo intulit. Quid autem cum ipſa, a menſe Auguſto, ad diem vsque ſupremum actum fuerit: id vero mihi ignotum eſt. At etiam hoc exemplum, vnumquemque docere poteſt clariſſime,

quid ab imprudenti fontium soteriorum vsu, vel potius abusu; sibi quisque metuendum habeat: si casui ac fortunae rem committat. Nemo hic salubrius consilium dare potest, quam Medicus: cui fontis alicujus virtutes, intime sunt perspectae. Saltem prudens Medicus, nunquam alicujus fontis vsum internum, vel externum aliis commendabit: cujus dotes, aut etiam sales, ac terrae, quae in illo hospitantur, ignorat. Verum apud nostros populares, alia fere, immo diuersa consuetudo obtinet. Ita enim vsu receptum est, vt tunc demum consilium Medici imploretur: cum jam solius Sacerdotis, vel Pastoris animarum, opera necessaria est. Nisi proinde Medicus, miracula faciat: nomen indocti ac ignari habebit. Atque id frequenter omnino accidit, vt postquam centum mulierculae & fricatrices anus, aut empirici, barbi tonsores, & nescio qui ex opilione, vel alio facti Medicastri, perdidere miserum aegrum: tunc forte ad aliquem ex Medicis adducatur. At Medici, non DOMINI; sed serui sunt naturae. Vbi ergo vis naturae, jam tota prostrata jacet: omnis Scientia Hippocratis, ipsaque ars Aesculapii: iners, otiosaque sit oportet.



CAPUT



CAPUT X.

De vsu salutari, Thermarum Varadiensium.

SECTIO I.

DE VSU EXTERNO.

§. LXXX.

Non est prorsus Domitiana quaestio, num aquis calidis vti: salutare sit, vel noxium? Ab ipsis fere Medicinae incunabulis, Philosophorum, atque inter hos Medicorum ingenia: miro modo hoc problema exercuit. Plinius quidem, memoriae imbecillitate lapsus; id adfirmare haud dubitauerat; Homerum, calidorum fontium, ne mentionem quidem iniecisse: *Homerum*, inquit, *calidorum fontium mentionem non fecisse demiror: cum alioquin lauari calida, frequenter induceret: Videlicet quia medicina tunc*

non erat haec: quae nunc Aquarum perfugio vtitur. (a) At res prorſus aliter ſe habet. Nam vt de aliis taceam, Saltem in Iliade ſua, hujus rei meminit. Ita in Rhapſodia X. vbi fluvii Scamandri meminit, hunc ex duobus fontibus, altero tepido ſeu calido; altero autem inſtar nivis vel glaciei frigido, oriri narrat: ad quos prope, labra lata, ſeu cadi ampli poſiti fuere; vbi veſtes lavabant, Trojanorum Vxores. (b) Et in hoc eodem libro, paulo infra, Hectoris Vx-

(a) Pliuius Lib. XXXI. Sect 32 pag. 556. edit. Hardvini in Fol.

(b) Homerus Iliad Lib. XXII. ſeu X. cum Achilles fugientem Hectorem, vſque ad muros Trojanorum inſequutus fuiſſet, vbi eum interemerat: hoc modo deſcribit;

Κρȣ̀νὼδ' ἵκανον καλλιῤῥόω ἔνθα δὲ πηγᾶι
Δοιὰι ἀναίσσȣσι σκαμάνδρȣ δινήεντος
Ἡ' μέν γάρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει ἀμφὶ δὲ καπνὸς
Γίνεται ἐξ ἀύτῆς ὡσὲι πυρὸς αἰθομένοιο
Ἡ' δ' ἑτέρη θέρει προρέει ἐικυῖα χαλάζη
Ἡ' χιόνι ψυχρῇ ἢ ἐξ ὕδατος κρυςάλλω

Ad fluentum autem venerunt pulcherrimum, vbi Fontes
DVO SCATVRIVNT Scamandri vorticoſi.
Alter quidem AQVA TEPIDA fluit, circum autem Fumus,
Fit ex ipſo, velut IGNIS ardentis:
alter autem Aeſtate, defluit ſimilis grandini,
Vel nivi frigidae, vel cryſtallo ex aqua (ſeu glaciei.)

Jam quidem STRABO Geogr. Libro 1. p. 58. Poſt

Vxor Andromache, marito suo, ex praelio reversuro: calida lavacra paraverat. (c)

M 3 Post

Post-Posidonium & Demetrium Scepsium, adnotavit. Quosdam fontes, *terrae motu* fuisse deletos; atque inter illos refert, etiam fontem hunc calidum, ab Homero olim Laudatum, Demetrius. Hujus enim Aetate, solum fons frigidus supererat. Narrat vero idem Strabo, Demetrium illum: fuisse locorum peritissimum. Is enim circa Ilium natus fuerat. Quive rursus, Geographicorum Libro XVI[to] de his fontibus; Homero controversiam movet. Sed rursus, etsi largiatur, sua Aetate, neque calidas aquas illic nunc locorum inveniri, & Scamandri fontem, non isthic, sed in monte Ida esse, atque fontem illum, *Vnicum solum & non duo esse*: tamen id verosimile esse censet, calidas aquas, illic, defecisse, *τὰ μέν θερμὰ ἐκλεῖφθαι εικοσ*. Pag. 602 Quam Strabonis observationem etiam Eustathius in Commentariis suis, ad hunc locum Homeri Pag. mihi 1362. edition. Basileensis, Ann. 1560. in Fol. laudat. Insuper vero illustrationis gratia addit: *ὦπται δὲ και νῦν περὶ τὴν παννονικὴν γῆν, ἤγουν τὴν τῶν βουλγάρων ἀναδοσις δύω τοιούτων πηγῶν, ὧν ἡ μιὰ καίουσα ζωογονεῖ ὠμῶς σκώλεκας. οἱ ἐξαιρέθεντες τοῦ ζεοντος, καὶ ἀέρι ὁμιλήσαντες ἐκλείπουσι λέγει δὲ καὶ Ηρόδοτος ποταμὸν σκυθικὸν τεάρον, τά τε ἄλλα εἰς ἄκεσιν φέροντα, καὶ δε καὶ ανδρἀσι, καὶ ἵπποις ἀγαθόν, ψώραν ἀκέσασθαι κ. τ. λ.* En in gratiam eorum, qui Graeca non tam facile intelligunt, Latina Faciam. *Conspicitur etiam nunc,*

in

Post aetatem vero Homeri, vti calidorum fontium; ita etiam vsus illorum: rei naturalis ac Historiarum Scriptores, meminerunt.

---

in Pannonica terra, aut Bulgarorum, scaturigo talis duorum fontium. Quorum vna, vrens vel aestuans: Animalia generat, saevos vermes, qui si illinc eximantur, exfervida aqua & in Aere commorentur: tum exspirant. Dicit etiam Herodotus esse in Scithia, flumen TEARUM: quod sanationem adfert, atque cum ad alios morbos; tum vero ad hominum & equorum scabiem sanandam vtile esse. Habes id apud Herodotum Lib. IV. pag. 322. & 323. editionis Wesselingianae. Illius triginta Octo fontes memorat Herodotus, ex eadem petra manantes, partim frigidos, partim calidos. Quo Amne delectatus Darius, Cippum erexit, his Litteris inscriptum. TEARI AMNIS CAPITA OPTIMAM AQUAM, ATQUE PVLCHERRIMAM CUNCTORUM AMNIUM CONTINENT. ET AD EA PERVENIT, EXERCITUM DVCENS, ADVERSVS SCYTHAS, VIR OPTIMVS, ATQVE PVLCHERRIMVS CVNCTORVM HOMINVM DARIVS, HYSTASPIS FILIVS, PERSARVM CVNCTAEQVE CONTINENTIS REX.

Etiam Plinius Tearum, inter flumina Scythiae numerat. Libr. IV. Sect. 18. pag. 205.

(c) Homerus Iliad X.

Κέκλετο δ' ἀμφιπόλοισιν ἐυπλοκάμοις κατὰ δῶμα
Ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν ὄφρα πέλοιτο
Ἕκτορι θερμὰ λοετρὰ, μάχης ἐκνοστήσαντι.

Ju

runt. De hac re, in hujus Libelli Capite primo, non nulla commemorauimus. Quod autem Veteres Medicos attinet, de iis nullum est dubium, ad curationes morborum, alios balnea frigida, alios contra calida, adhibuisse. In hanc rem clarissimus est locus Plinii (d) *Iidem* inquit *Fratres instituere* (idest Euphorbius, & Antonius Musa, qui Divum Augustum, ope artis servaverat) *a balineis frigida multa Corpora adstringere. Antea non erat mos: nisi calida tantum lavari, sicut etiam apud Homerum invenimus.* De Antonio Musa, Dio narrat (e) illum aquae frigidae lotione, *Marcellum* quem Augustus adoptaverat, dum curare vellet occidisse. Quin etiam ab antiquis, id in Consvetudinem tractum fuit, vt a balineis, postea frigida lava-

 ren-

Jusserat autem Ancillis pulcherimis, in domo
Circa ignem statuere tripodem, vel lebetem magnum
vt essent
Hectori calida lavacra, ex pugna defatigato.

Hic rursus adnotaverat Eustathius: Calida autem, inquit, Lavacra dixit, ad distinctionem a frigidis; quibus praestantes Heroes, a sudore reficiebantur. Talia autem proverbio HERCVLEA LAVACRA vocabantur. Fuerunt vero illa primum ac quidem proprie, (κυρίως.) quae ex terra, sua apte seu sponte scaturiebant; ad refectionem vt dicunt, Herculis pugnantis, vel luctantis. Eustathius ibidem pag. 1384.

(d) Plinius Histr. Natur. Libro XXV. Sect. 37. pag, 371.

(e) Dio Libr. LIII. pag. 157.

rentur: apud Oribasium (f) Notum est de ANTONIO MUSA quod cum is videret calida fomenta, in vitio iecinoris Augusti adhibita, nihil prodesse: frigidis postea curare „ coactum „ fuisse (g) Post id tempus Charmis, patria „ Massiliensis, Vrbem Romanam ingressus, non „ solum priores Medicos damnavit; Verum & „ balinea: frigidaque etiam hibernis algoribus, „ persvasit. Mersit aegros in lacus. Vide„ bamus senes, Consulares, aiit idem Plinius, „ vsque in ostentationem rigentes. Qua de re „ exstat etiam Annaei Senecae adstipulatio. Nec „ dubium est, omnes illos Famam, novitate „ aliqua aucupantes: Anima statim nostra ne„ gotiari „ (h) Ipse Horatius, se ex consilio Antonii Musae, *Psychrolysia*, seu lavatione frigida, ad morbum nervorum excutiendum vsum fuisse: Nummonio Valae, in Epistola ei inscripta narrat. (i) Imo & Seneca, jam senex & annosus; Ab hac fatigatione inquit in frigidam descendi: Ille tantus *Psychrolytes*, qui calendis Januariis, in Euripum saltabam; primum ad Tiberim transtuli castra; deinde ad hoc solium quod sol temperat. Non multum mihi ad balneum super est. (k) Atque talem aquam a radiis solis calefactam: Seneca vocaverat parum

(f) Oribasius Libr. X. Collect. Medic. Cap. VII.

(g) Svetonius in Augusto Cap. 81.

(h) Plinius Libr. XXIX. Sect. 5. pag. 495.

(i) Horatius Libr. I. Epist. XV. V. 2.

(k) L. Annaeus Seneca. Epist. LXXXIII. p. m. 385. ex editione Lipsii. Amstelod. 1628.

rum calidam; vti paullo ante loquebatur. Quod autem de Pſychrolyſia ſua, calendis Januarii inſtituta, per jocum Seneca ſcribit: id ex Epiſtola ejus quinquageſima tertia, intelligi poteſt; vbi non Vlyſſi magis, quam ſibi iratum mare, dicit; illumque ad id coegit, vt a fluctibus & procellis territus, prope ad littus maris; in mare, vbi jam aliquo modo vadari poterat, exſiliret; ac ita in terram ſibi iter faceret. Nemo in Hiſtoria Medica, tam hoſpes eſt, qui ignoret, quanto ſtudio Celebres Medici in Anglia, Helvetia, ac alibi paſſim: frigidas iſtas lavationes, nuper commendaverint, & hodie commendent. Verum vel ex his paucis, quae hoc loco adduxi, clariſſime illius ſententiae Veritas eluceſcit, quam ſapientiſſimus Salomon obſervaverat. (l) *Nihil ſub ſole novum: nec valet quiſquam dicere; ecce hoc recens eſt. Jam enim praeceſſit in ſeculis; quae fuerunt ante nos.*

§. LXXXI.

Quoniam fontium VARADIENSIVM aquae, ad bilancem examinatae ſunt leviſſimae, ac multum aëris puriſſimi & elaſtici in ſinu ſuo habent; nec non Spiritum valde fluidum, omnia pervadentem, ac vaſis quibuſvis vitreis vel metallicis coerceri neſcium: §. 19, 20, 21, 22, hinc pro ſordibus Corporis abluendis, hae aquae ſunt vtiliſſimae Non raro enim idcirco

M 5 qui-

(l) Eccleſiaſt. Cap. I. V. 9, 10.

quidam in morbos incidunt; quod cibis duris, craſſis, inſalubribus veſcantur. Illinc tandem generantur in Corpore humores lenti, pingves, viſcidi glutinoſi; qui per vaſa & canales noſtros ſubtiliſſimos vti arterias, venas, inprimis horum extrema, difficulter trudi, nedum tranſpelli poſſunt. Naſcuntur deinde illinc diverſi generis obſtructiones, non modo intus in Corpore; ſed etiam in poris cutaneis. Videas frequenter homines, quorum tota facies, inprimis autem latera narium, ſebum aliquod tranſſudare; conſpicitur. Splendet horum facies, quaſi oleo illiviſſent. Multorum capilli, ſic é longinquo nitent: ac ſi butyro quis, aut ſebo pervnxiſſet. Quare etiam horum hominum veſtes, ab attactu capillorum, non ſecus maculantur: quam ſi in panni ejus partem, vbi capilli eorum fluitant, adipem quis copioſe effudiſſet. Dantur vero alii, in quorum dorſo, imprimis circa ſcapulas, in ſuperficie cutis, maculae nigricantes, inſtar puncturae acus, vel etiam majores, copioſe adparent. Si tales maculas, admotis duobus pollicibus, intra vngves paullulum fortius comprimendo ſtringas: tum pingvedo exit, inſtar vermis. Id obſervare licet etiam in latere narium: ſi quoſdam homines curatius inſpicias. Nigricantes enim illae maculae, in externa cute narium; nil niſi adeps, vel ſebum eſt; cui ſordes inductae ſunt; ſed quae in poris cutaneis haerent, & a ſorde, ſebo adhaerente, retinentur; ſimulque colorem nigricantem exhibent. Has maculas, ſi nunc ſtatim memorata ratione exprimas; tum inſtar vermiculorum, qui in caſeis antiquis, vel corrup-

ruptis nascuntur; ex loco cutis compresso, extrorsum protruduntur. Dum cutis Corporis, ejusque pori, sic sebo oppleti sunt: tum Corpus male perspiret necesse est. At ex perspiratione impedita, vel sublata: morbos certissime oriri; vel vltimi Subselii Aesculapii discipulis, res notissima est.

§. LXXXII.

Nemo tamen his Thermis, vel externe aut interne vtatur: nisi prius prudentem aliquem Medicum consuluerit. Is enim statim videbit num huic aut illi, salutaris vel noxius erit vsus aquarum? si quis autem Medicum nancisci prorsùs nequit: is prudenter aget si ad haec, quae subiungam animum diligenter advertet; antequam balneo pro externa ablutione vtatur.

1. Seligendum est tempus vernum, a XXIV. Aprilis, vsque ad finem Mensis Maii, vel si tempestas frigidior sit, ad diem X. vsque Junii. Item a die XX. Septembris, vspue ad dimidium Octobris: si tempestas sit calidior nec cito frigus ingruat. Notum mihi est Eperiessini, vbi acidulis calefactis in caldario, quandoque homines se abluunt; Mense Junio, majus esse Frigus, quam frequenter in fine Mensis Aprilis, solet esse Varadini. Verum id diversae altitudini locorum; rei geographicae peritus adscribet. Eperiessini enim, latitudo loci, seu elevatio Poli, quatuor minutis demtis, 49 graduum est, Varadini contra 47 & paulo plus.

2.

2. Caveant ſibi ab his aquis, qui ſangvine turgent, & Corpore ſunt ſimul ſano, robuſto, firmo; inteſtina vero & ventriculum, ſordibus, muco viſcido, ſaburra &c. onuſtum habent. Cholerici, qui natura ad iracundiam faciles ac proni ſunt, nec non qui vegeta & florente aetate ſunt: ab his aquis, imprimis vero Epiſcopalibus; facillime laeduntur. Quare ſangvine turgentes, & humoribus pleni, ſeu plethorici, ſi in thermas Epiſcopales, imprimis pleno Ventre deſcendant: in deliquium Animi facillime incident. Idem continget, temperamenti ſangvinei hominibus; ſed quorum fabrica Corporis & habitus imbecillior eſt. Par erit ratio mulierum, vel Virginum illarum, quae ſuppreſſione menſium laborant, & humoribus abundant. Phlegmatici, non tam facile ab harum aquarum externo vſu laedentur: Horum enim ſangvis in Vaſis lentiſſimo motu propellitur. Vnde fit, vt in his, ſenſus omnes, atque ita etiam adfectus: ſint hebetiores, nec tam facile in motus vehementiores concitentur.

3. Qui venaeſectioni, vel vſui remediorum laxantium, aut purgantium adſveti ſunt: optime facient, ſi poſtquam vena ſecta fuit, vel remedio laxante vſi fuerant: tum deinde tertio vel quarto die, balneis vti incipiant.

§. LXXXIII.

4. Quorum ventriculus, ſaburra, muco viſcido, phlegmate abundat, quales vt plurimum eſſe ſolent illi, qui Vitam agunt ſedenta-

tariam, nec Corpus laboribus exercent; vti Litterati, mulierculae otio adſvetae, &c. hi priuſquam balneo vtantur, recte facient, ſi blando aliquo laxante remedio, ex Manna, vel Rhabarbaro, aut ſale aliquo medio, puta Sedlicenſi, vel Anglicano Ebſhamenſi, adſumto, alvum ſibi ſubducant; vt illa ter, vel etiam amplius egregie fundatur. Id poſteaquam factum fuit: tertio vel quarto demum die; tuto in vſus externos, has aquas devocare poterunt.

5. Vti ante, ita poſt meridiem, vacuo ſeu jeiuno ventriculo, in balneum deſcendendum eſt. ſaluberrimus ergo thermarum vſus eſt, horis matutinis, vsque ad nonam vel decimam. Sed in hoc caſu, poſt duodecimam erit prandendum. Poſt meridiem non vsque adeo ſalutaris eſt illius vſus. Si quis autem eo vti conſtituerit: non prius in aquas deſcendat, quam ciborum concoctio peracta eſt. Id quod circa horam quintam, vel ſextam fiet. Sed in hoc caſu, ante horam octavam, non erit coenandum.

§. LXXXIV.

Imprimis vero, qui ſyſtema Corporis debile habent: ii vna vice, diu in balneo morari non debent. Sufficit his, vno vel altero quadrante, illic conſediſſe. Interea temporis vero, membra Corporis & aliae partes, vti dorſum, pectus, &c. panno, vel linteo duriore, fricandae ac lavandae erunt; vt hoc modo pori Corporis, a muco, ſordibus, & ſebo ob-

obducti, aperiantur. Hac enim ratione, aperti, ac dilatati; non modo Spiritus aërio aethereos, subtilissimos, ac elasticos, item vapores; sed etiam aquam hanc subtilissimam, in tenuissimos Corporis canales, admitent ac absorbebunt. Quamquam enim bene multi, externe solum balneo vtantur, per aliquot dies: tamen si sibi adtendant, observabunt: copiosius ab ipsis reddi Vrinam, imo & in balneo ipso, non raro dimitti debere, dum illic se abluunt. Aliis vero, durante vsu balnei, alvus frequentius sollicitatur, etsi in cibo & potu sibi consveto: nullum errorem admiserint. Hoc sane non vlli alteri rei, quam Virtutibus harum aquarum, per poros cutaneos absorbtis, & intestinorum canali communicatis: adscribi debet. Multi certe haec in se contingere, experiri coguntur, sub ipso balnei vsu: ipsis aliquoties intra viginti quatuor horas alvum fundi, quasi remedio aliquo laxante vsi fuissent. Haec vero phaenomena, cibis interea adsumtis, aut potui adscribere velle; summae imprudentiae foret. Dum alias, ab iisdem cibis, & potu sibi familiaribus: nulla ita in sensus incurrens contingat mutatio. Haec enim cuncta, a viribus hujus aquae salutaris, derivare oportet.

6. Nunquam vero in balneum descendendum est, statim a prandio sumto, aut coena finita; sed vacuo imprimis ventriculo, horis matutinis; aut concoctione ciborum penitus peracta. Vti de hac re ante ad numerum (5) iam aliquid monui.

§. LXXXV

§. LXXXV.

Cauere ſibi debent a balnei vſu externo, omnes illi, qui acutis morbis aut catharrho graui, febribus lentis, hectica, phtiſi, aſthmate ſuffocante, haemorrhagia narium, ſputatione ſanguinis, aut vomitu cruoris, pleuritide, peripneumonia, hydrope, tympanitide, nec non tributi lunaris fluxu laborant. Non ita multos ante annos, duos Parochos, alterum phtiſi, alterum vero tympanitide conflictatos vidi: qui tamen in thermis S. Ladiſlai, ſalutem morbo ſuo, infelici ſucceſſu quaerebant. Hi enim, vt tanto celerius, aliquod calamitatum ſuarum levamentum ſentire poſſent: perduas, immo & tres horas, frequenter per diem balneo inſederant. Fruſtra a peritioribus monebantur, vt a balneo abſtinerent. At illi ſpretis aliorum ſalutaribus conſiliis; tamdiu non deſtiterant: donec morbi vires ſic increſcerent, vt vel inuiti ſuperſedere cogerentur. Hoc modo paucos poſt dies, citius vterque ferale ſepulcrum; quam vel leue auxilium, in harum thermarum imprudenti vſu inuenerunt.

§. LXXXVI.

Contra vero, haud dubium ſolatium, vel ſolus externus aquarum Felicis vſus, miſeris aegrotis pollicetur. Qui morbis cutaneis, vti herpete, maculis ſordidis, ſcabie, furfure capitis, digitorum vel aliorum membrorum ſquammo-

mo-

mosis crustis &c. adfecti sunt: multum hinc pro se solatii sperare possunt. Id autem facilius consequentur, si externo vsui; internum jungant. Non solum autem hi, sed & illi, qui doloribus rheumaticis, ischiadicis, artritide, aut podagra, chiragra torquentur: haud vano augurio, multum sibi polliceri possunt. Non ignoro LUCIANUM, principem illum suae aetatis Satyricum, risisse podagricos, qui a FONTE remedium petunt. Atque Dea podagra, omnibus illis plorate imperat. Et sic facientibus, minatur se occurrere iracundiorem. (a) saltem illius podagrici exemplum, de quo supra §. LXX. dictum: hoc modo conflictantes, in spem meliorem eriget. Hi si prius peritum Medicum consulent, qui de morbi natura certo iudicabit, & regimen idoneum praescribet: magno

---

(a) Luciamus in Tragopodagra ex editione Joan. Sambuci Basileensi Gr. & Lat. An. 1619. in 8vo pag. 695.

Ὁ δὲ θεραπεῖαν ἔλαβε παρὰ τῆς κρανῆς. κ. τ. λ.

Hic autem curationem a FONTE petit;

Haud aliter Plutarchus, thermarum lauacra *ἀκέσμα καὶ πρὸς θεραπεῖαν εὐαίσθητα*, *salutaria, & ad morborum sanationem efficacia iudicauit*, in Libr. de Igne & Aqua. Id vero risum meretur, quod Lucianus ait. Podagram Deam, clientes suos plorare iubere. Sic mulierum ingenium, simul salse perstringit. His enim iratis, si repugnaueris: magis omnino illas prouoces, nec sine malo tuo discedes. Id quod iam olim Plautus eleganter expressit. Ba-

gno cum fructu hos fontes, in vſus ſuos adhibebunt. Id in primis ſollicite aegri vitent, vt ipſi definiant quis ſit ille morbus? quo diuexantur. Nam et hic veriſſimum illud vulgare eſt: *Duo cum patiuntur idem; non patiuntur idem.* Non raro hic ſe putat dyſenteria laborare: cum tamen haemorrhoidalis ſit iſte conatus. Ille ſe nephritide vexari, aut a calculo dolores lancinantes pati, punctionem in loco fixo, in carcerationem flatuum, dolorem acerbiſſimum colicum, ſuppreſſionem vrinae ſibi firmiter perſuaſit: cum tamen fieri poſſit, vt omnia haec, in primis in hypochondriacis; haemorrhoidalibus turbis originem ſuam debeant. Huius rei exempla aliquoties vidi. Non diſſimilia illos quoque ſymptomata miſere excruciaſſe, experimentis didici, qui gonorrhoea inueterata laborabant. Vexabant hos dolores cholici, lancinationes, puncturae, dolor fixus in vno loco, iſchuria, vel etiam ſtranguria, ſeu difficilis mictus, aut eius integra ſuppreſſio: qui inter horrendos eiulatus, aliquot guttas vrinae, quandoque reddebant. Et tamen in his nec ſabulum, nec arena, nedum calculus vnquam prodiit. Ita anno 1771. cum quidam Illuſtriſſimus Vir, ex vrinae ſuppreſſione grauiſſime laboraret, ac vehementibus doloribus excruciaretur: creditum fuit a praeſentibus Medicis

---

Bachae bachanti, ſi velis aduerſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſaepius.
Sin obſequaris: vna te ſoluas plaga.

dicis, vbi ille aegre decumbebat; calculo in vesica vrinaria haerenti totum illud mali adscribi debere. Instituta proinde lithotomia, seu incisio pro eximendo lapide: frustra quaesitus fuit calculus, aut lapis vel arenae. Totam enim hanc tragoediam, materia illa viscida, glutinosa ludebat: quae ad collum vesicae collecta fuerat. Illum ego, iam ante apud nos per aliquot annos degentem, eodem morbo, tribus diuersis temporibus conflictatum; intra paucas horas, ex imminenti periculo liberaueram. Sciebam enim, omne id quo adfligebatur malum, morbi Venerei, quo antea frequentius laborauerat reliquias esse. Hic enim collum vesicae, tum prostatae, et reliqua vasa, per tot remedia mercurialia, pusque, quod saepius et longum fluebat: insigniter olim laesa fuere. Illa mala, quae a retentione vrinae patiebatur, blandis decoctis, saponaceis, diluentibus, resoluentibus & remediis temperantibus: item fomentis, cataplasmatibus etc. haud difficulter cedere solebant. Haec me, quoties adhibebam; fallebant nunquam; ita vt is ab imminenti periculo liberaretur. (†) Ante hos XII. annos celebris Medicus Ciuitatis nostrae, in

(†) Iste Vir Illustris, hiberna tunc habebat, Magno Varadini. Postquam irrito conatu calculus, a Medicis & Chirurgis quaesitus fuit: vulnus inflictum, nunquam sanari potuit, sed vrina, post id tempus, non modo per vrethram fluebat: verum etiam per vulnus pluribus in locis. Haec omnia mala,

in morbum petechialem inciderat. Cum grauissime aegrotaret, atque de nocte, errores etiam mentis ei superuenirent: tum amice consilium meum et opem rogauerat. Feci id homini aestumatissimo, et in Arte sua versatissimo quam lubentissime. Firmissime is sibi persuaserat, febre se aliqua intermittente, sed valde anomala laborare. Nolui Viro amicissimo, et homini doctissimo repugnare. Passus proinde fui hunc errorem illum errare. Postea vero quam ex morbo conualuit, et de sua febre in-

 ter-

mala, sectionem infaustam consecutura esse; multo nate praedixeram. Sed potior fuerat quorundam celeberrimorum Medicorum auctoritas. His plus, quam mihi; magno suo malo credidit. Id quod, sero demum doluit. Morbus atrox, et vulnus indomabile, omnem Medicorum et Chirurgorum operam elusit: quamquam eidem, summi in arte Vir, etiam Viennae: opem ferre postea laborau[illegible]nt. Rei dierat is Varadino in Ciuiaatem nostram Anno [illegible]772. atque inter summos dolores, lecticae impositus ad nos delatus fuit. Hic perpetuo adfixus lect[illegible] lecumbere cogebatur. Quamquam haud raro, tam bene se habebat; vt ludis, et id genus aliis; quae cum chartis instituuntur: sese oblectare posset. Certe adpetitus ciborum: non nisi ultimis diebus, dum omnia in putredinem ruebant periit. Paucis ante mortem horis: ordines ac mandata, militibus dedit, ac propriis manibus subscripsit. Tandem tot malis ferendis, natura ceteroquin robusta impar, die VIII. Martii, Ao. MDCCLXXV. succubuit; ac apud nos sepultus fuit.

termittente valde pertinaci, coram me quereretur: paullulum ſubridens, rogaueram eundem vt ab Apothecario, meas praeſcriptiones, vt vocant, repeteret. Illis inſpectis, obſtupuit ſe omnino febre acuta, atque ita etiam ex petechiis laborauiſſe. Prudentis Medici eſt, et quidem huius etiam ſani, & non grauiter aegrotantis, nedum huius ſcientiae ignarorum, aut ipſorum aegrorum: de Morborum natura, nomine ac ſpecie ipſa, iudicium ferre. Sed de vſu harum aquarum externo, vt omnia quae hic dici deberent complectar, eadem omnino vera ſunt de his Thermis, quae de Aquisgranenſibus, nec non de Carolinis in Bohemia HOFFMANNVS adnotauit. (*b*)

CA-

(*b*) Hoffmannus de principiis et virtutibus Medicatorum Germaniae fontium §. XXI. et de Thermis Carolinis cap. V. VI. VIII. in Opuſcul. Phyſico. Med. Tom. II.

CAPVT XI.

SECTIO II.

DE VSV THERMARVM FELICIS INTERNO.

§. LXXXVII.

1. Non prius huius fontis aquae fine medendi potandae venient, quam corpus blando aliquo laxante, ex manna vel rhabarbaro, aut sale Medio Sedlicensi, vel Anglicano expurgetur.

2. Si corpus insigniter sanguine turget, venaeque eodem inflatae ac distentae; educendus omnino est copia talis abundans, instituta sectione venae.

3. Qui ab his aquis sanitatis suae praesidium quaerit; fontem ipsum adeat oportet, atque illic potum aquarum instituat.

4. Postquam eo te contulisti, aquam puram, lagena vitrea obturaculo ex subere parato instructo, ex fundo fontis, vbi scaturit, haurito, ac dum impletur, sub aquis claudi iubeto. Sic statim ad fontem stans vel sedens, tantam quantitatem, quam Medicus praecepit: calide potato. Tum confestim deambulatio in-

ſtituenda in pratis et ſyluis vicinis: id ſi vires corporis indulgeant. Imbecilles curru, aut rheda vehi, oportet: aut vero equitandum erit. Inter potandum vero talis commotio corporis neceſſaria eſt. Hoc enim modo aqua adſumta, per omnes partes corporis, motu aequabili promouebitur. Neque tamen deambulatio, vſque ad prouocationem ſudoris, violenter vrgenda erit. Hunc motum corporis, oportet eſſe protractum, ac ita continuandum, donec ſenſim ipſa ſuperficies cutis, vti dorſum manuum, et aliae partes: aliquantum humida, vel vaporem tenuiſſimum ex ſe dimittere, obſeruentur. Deambulatio proinde violenta, ſollicite vitanda erit. Si quis enim eo vſque motum exercuit, vt in ſudores effuſos ruat: hac ratione magna pars virium, huius aquae ſalutaris, ex corpore imprudenter eliminabitur.

5. Illis, qui his aquis vti conſtiruerunt diligenter attendendum eſt, vt dum has aquas potant, aluum apertam habeant, ac ſingulis diebus, ad minimum vna vice adcurate reſpondeat: nec egeſta, multo pauciora eſſe debent; quam ingeſta fuere. Id vero prorſus ſingulare eſt, multis non aluum ab huius aquae potu ſollicitari; verum vrinalis latex frequentius vrgetur; ita quidem vt ſtupenda quantitas vrinae, ex corpore exturbetur. Segnior vero aluus officii ſui admoneri debebit. In hac re prudens Medicus, conſilia dabit.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Multi ex Medicis, diaetam nimis feueram ac aufteram iis praefcribunt, quos ad huius generis aquas falutares ablegant. Alii contra palato aegrorum omnia liberaliffime indulgent.

Iliacos intra muros peccatur, et extra.

Inter hos diffidentes, tanquam antiquus Criticus, Iudex federe nolo. Forte non multum a rei veritate aberrabo, fi id exiftimem: vnumquemque eorum, qui his aquis vti conftituerunt; fuo fe pede metiri debere. Alia fane diaeta indulgenda eft valentibus, robuftis, et quorum fyftema corporis fatis firmum eft. Denique qui corpus exercitio, laboribus indurant. Alia contra ratio victus ordinanda eft, imbecillibus, vti pueris, puellis, mulierculis, litteratis: et omnibus iis, qui vitam agunt fedentariam: nec non morbidis, fenibus, vel qui propter aeftum et calores internos; ftomachum habent imbecilliorem. Hos omnes, fi quis in morbos grauiores praecipitare, atque ad aquas ftygias in orcum detrudere vellet: tum id folum iis confilii dare deberet, vt cibis, qui concoctionem fubeunt difficiliorem; nec non potu generofiore et fpirituofo copiofius ingefto vtantur; dum hac aqua falutari medicatio inftituitur. Hoc fi enim fiet; tum certiffime id futurum eft, quod in obferuatione vltima §. LXXIX. honeftae matronae accidiffe: paullo antea expofui.

Debiliores proinde, item meditationibus adfueti, nec non qui vitam agunt fedentariam, vti litterati, ftrictis et arduis rationibus obnoxii,

moeroribus adſueti, vel his confecti, mulieres hyſtericae, hypochondriaci, atque ita morbidi omnes: cibis vtantur, quos ventriculus illorum, ſine moleſtia ferre poteſt; et quibus cibis, dum domi ſuae degunt, frui ac veſci conſueuerunt. Ab adſuetis enim: non tam facile natura laeditur. Durante igitur curatione per has aquas, fructus omnes crudos, fumo indurata, aut quae ſale, in menſes et annos condiuntur: ſollicite vitare debent. Illi autem, qui ſub epulis, vino vti conſueuerunt; tunc etiam, dum hanc medendi rationem ſuſcipiunt, eodem modo; vti alias: moderate adhibent: nunc quoque ſine vlla noxa vſurpare poſſunt.

§. LXXXIX

A prudenti vſu aquarum Felicis interno, magnum ſolatium, immo et ſanitatis recuperationem ſperare poſſunt, omnes ii, qui infarctu viſcerum, lienis, hepatis, pancreatis, renis adfliguntur: item qui in canali inteſtinorum, aut in meſenterio, obſtructiones, tubercula habent. Medicis notiſſima res eſt, motum illum vermiformem, canalis inteſtinorum, quem periſtallicum vocant, in primis in mulieribus hyſtericis, nec non hypochondriacis, et fere omnibus eruditis: miro modo eſſe perturbatum. Ad hos motus in ordinem naturalem reducendos: vix aliud efficacius remedium inuenies. Imo ſi quis harum aquarum potum, ad fontem ipſum recte inſtituat; longiusque continuet: virtus

virtus eius, a salinis, acribus, acidis, viscidis, mucosis et pituitosis humoribus et sordibus; corpus egregie mundabit. Quare cachectici, item Virgines chlorosi laborantes, quarum facies tumet et pallet, nephritici, calculo, aut arena laborantes, et qui dolore colico, vti et flatibus, ructibus obnoxii sunt; vel quos ischuria stranguria vexat, quod et gonorrhoea inueterata colluctantibus familiare est, vt difficultate mictus crucientur: ab huius aquae vi, ea sperare possunt auxilia; quae a decantatis illis arcanis lucripetarum; et qui, vt olim tales, Italo aceto, Plinius non immerito perfuderat; *cum animis aegrorum negotiantur*: frustra exspectabunt. Noti mihi sunt aliquot casus, in quibus apparuit: vsu harum aquarum, fluxum haemorrhoidalem egregie fuisse promotum. Tacebo de illis, qui in membris corporis, puta pedibus, manibus, aut in pectore, dorso vel collo &c. inueterata vlcera manantia habent. His enim exemplum illius puellae, cuius ad §. LXXII memini: magnam spem salutis promittet.

§. XC.

Tandem nonnulli monendi sunt, vt nisi in proprios Manes, ante diem inquirere velint: ab his aquis, etsi multis aliis salutem promittentibus, sibi tamen nociuis, abstineant. Ad hanc classem pertinent, omnes illi, quorum partes internae, iam exesae, tabe confectae, et corruptae sunt. His iungo illos, in quorum visceribus et partibus internis, aestus ingens

con-

continuo alitur. Tales sunt, in quibus febris lenta, hectica, phtisis, vomitus sanguinis, hydrops, ascites, tympanites cetera: ad summum acmen peruenit. Hi enim, has aquas vsurpando: nil nisi fatum suum properabunt.

Sed tempus est, vt tandem manum de Tabula tollam. Hoc solum postremo Coronidis loco adiiciam, ex his omnibus, quae libello hoc exiguo complexus fui; id vnumquemque facillime posse perspicere: DEVM ESSE IN MINIMIS MAXIMVM. An ergo casus, hanc diuersitatem aquarum, inprimis autem FONTIVM CALIDORVM et FRIGIDORVM instituit? An coecus error Italis, Anglis, Germanis, Bohemis Hungaris, fontes calidos, vti BVDENSES et VARADIENSES, dono dedit, ac in loca distincta, et a se inuicem remota collocauit? Num virtutes illas Medicas, quas paullo ante in obseruationibus §. LXX-LXXVIII. cum admiratione legebamus: NATVRA sui ipsius inscia, Aquis infudit? Num fortuna coeca id contigit, vt non brutorum, sed solum causa hominum CALIDI FONTES, ex visceribus terrae, in superficiem ipsam, diuersis in locis scaturirent ac prorumperent? Apage nugas aniles! In his enim rite examinatis, qui digitum, immo manum ipsam DEI, eiusque sapientiam summam ac bonitatem in genus humanum non agnoscit: coecus amentia sit oportet. Certe cum CICERO aduersus Balbum, ut hostem Deorum disputat, simul admonet: fontibus ipsis, delubrum fuisse consecra-

ſecratum : vti Marſo ex Corſica *a)* Quare dum locum habitationis ſuae, idem CICERO, animo contemplabatur, oppoſite ad illa loca, vbi incolae terrae, aut frigore rigent, aut vruntur calore, haec ſubiicit. „ Hic autem vbi habi-
„ tamus, non intermiſit ſuo tempore;

Coelum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites laetifica, pampinis pubeſcere,
Rami baccarum vbertate incurueſcere.
Segetes largiri fruges, florere omnia,
FONTES ſcatere, herbis prata conveſtier. - -

„ partim ad veſcendum - - partim ad corpora
„ veſtienda : HOMINEMQVE IPSVM QVA-
„ SI CONTEMPLATOREM coeli ac Deorum,
„ IPSORVMQVE CVLTOREM : atque ho-
„ minis vtilitati, agros omneis et maria paren-
„ tia. Haec igirur et alia innumerabilia, cum
„ cernimus : poſſumus ne dubitare; quin his
„ PRAESIT ALIQVIS, VEL EFFECTOR;
„ ſi haec nata ſunt; vt Platoni videtur : vel ſi
„ ſemper fuerint, vt Ariſtoteli placet, MO-
„ DERATOR tanti operis et muneris. VT
„ DEVM agnoſcis, EX OPERIBVS EIVS:
„ ſic ex memoria rerum - - vim diuinam men-
„ tis agnoſcito. *b)* APELLEM ex vna linea in ſua Tabula ducta PROTOGENES agnouerat: ac

---

a) CICERO de Diuinatione Lib. III. P. LXVIII p. m. 340.

b) CICERO Tuſculanar. Quaeſtion P. CLXIII. p. m. 180.

ac vt vidit ſtatim confeſſus eſt: Apellem veniſſe: nec in alium tam abſolutum opus cadere. c) Tot admirandae igitur virtutes FONTIVM VARADIENSIVM, non ducent nos ad agnoſcendum ſummum AVCRОREM illorum et CREATOREM, imo et laudandum ac celebrandum!

Meminerimus Sanctiſſimum noſtrum Seruatorem DOMINVM IESVM CHRISTVM, vt merita ſua, eorumque vtilitatem ac neceſſitatem commendaret: SE FONTEM VIVVM et ſalientem adpellaſſe. d) Quantis igitur nominibus nos DEO ſumus obſtricti, qui etiam in FONTIBVS medicinam fecit! Aqua certe etiam vulgaris, medicina eſt. Quanto magis vero tot corporibus heterogeneis diues: qualis calidos FONTES VARADIENSIVM vidimus. Non immerito proinde olim PINDARVS Hymnum ſuum, ſeu Oden ſic exorſus fuerat: ΑΡΙΣΤΟΝ ΜΕΝ ὝΔΩΡ, *aqua quidem optima eſt*. Atque huius rei, vti ipſe paullo poſt loquitur: *Poſteri dies; Teſtes ſunt ſapientiſſimi.* Miratus olim opera DEI, pius Rex DAVID, inter alia in haec eruperat: Benedic anima mea DOMINO! DOMINE DEVS meus: magnificatus es vehementer. QVI emittis FONTES in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt

(aquae)

---

c) PLINIVS Hiſtor. Natural. Lib. XXXIX. Sect. 10. 11. pag. 695. Tom. II.

d) S. IOANNIS CAP. IV. 10. 14. Confer. CAP. VI. 35. et CAP. VII. 38. 39.

(aquae) Quam magnificata ſunt opera TVA DOMINE! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſionibus TVIS. *e*) Confiteantur TIBI DOMINE! omnia opera TVA: et ſancti TVI benedicant TIBI. *f*) BENEDICITE FONTES DOMINO: laudate et ſuperexaltate EVM in ſaecula. g) Faxit DEVS O. M. vt qualiscunque hic meus labor, in ſummi NVMINIS Diuini gloriam, et Reipublicae Litterariae, REGNIQVE HVNGARIAE vtilitatem cedat!

---

e) PSALM. CIII. Hebraeis CIV. 1. 10. 24.

f) PSALM. CXLIV. Hebraeis PSALM. CXLV 10.

g) DANIELIS III. 77. Confer. PSALM. CXLVIII 4.

FINIS.

G. D. O. M.



Errata exstantiora in Libello de Thermis Varadiensibus.

Pag.

1 Linea penultima *ela* lege, ea.

5 in scholio lin. 4. *pulucris* lege, pulveris, ibidem lin. 8. *solutionis* lege, solutioni.

6 lin. 2. *opera* lege operas.

13 lin. 2. in scholio post IOACHIMI, adde KVHNII.

14 lin. 13. *medicabitis* leg. medicabilis. ibid. linea 3 a fine *Cranii* lege *Crenii*.

17 lin. 3. *Abulae* leg. *Albulae*. ibid. in schol. lin. 3. ποϱωδέϛατον lege πυϱοδεϛατόν.

18 lin. 2. in scholio *Hac* lege Hae.

21 In §pho VI. lin. 8. *materia* lege. maceria.

24 lin. 12 *larges* lege, largas.

26 in schol. lin 7. *fonto* leg. fonte.

30 lin. 30 ἥττονζ ταντοδᾶπας leg. ἧττόν παντοδαπᾶς.

32 lin. 5. post *suam* adde, *debere*:

40 lin. 11. γνοριξομένοις leg. γνοριζομένοις. ibid. lin. 13. θαλαταὰν leg. θαλάτταάν ibid. διαφορτὶ leg. διάφοραὶ. ibid. lin. 16. ὑποὶα leg. ὁποὶα. ibid. lin. penult. ἐπονύμωις leg. ἐπονύμοις. ibid. lin. vltima τελευταιον lege τελευταῖων.

41 lin. 10. TOPOCHESIAM leg. TOPOTHESIAM.

48 §pho XVI lin. 2. *perspectum* est leg prospectum est.

49 §pho XVII. lin. 4. *inducee* leg. inducere.

56 lin. 10. *turbatur* leg. turbabatur.

71 §pho XXIX. lin. 3. *phoenomenon* leg. phaenomenon.

72 lin. 2. *Si aqua et.* leg. Sic aqua est.

76 lin. 5. *quem* leg. quam.

Pag.

79 lin. 2. *naſtuurium* leg. naſturcium.
ibid. lin 18. *collati* leg. colati.
81 lin. 9. *ſiogulares* leg ſingulares.
90 Ad numerum IV. lin. 4. *Áliqvendo* leg. Aliqvando.
93 lin. 24. *veget* leg. vegetabili.
100 lin. 6. *Ceerepitatio* leg. Decrepitatio.
119 in ſcholio lin 8. *lacuſtrrs* lege, lacuſtres.
ibidem linea vltima *ſit vbi* leg. ſicubi.
123 lin. 9. *locus* lege, lacus.
126 in ſchol. lin. 4. *ſa lulum*, leg. ſabulum.
ibid. lin. 7. *arca*, leg. area.
ibid. lin. 9. *ejuseem* leg. eiusdem.
130 lin. 14. poſt adfuſa, adde, eſt.
131 lin. 12. *ſic* lege, fit.
140 lin. 18. *laxo* lege, laxe.
147 lin. 22. *aunquam* leg. nunquam.
148 lin. 1. poſt vocem fuiſſe, adde, 1748.
150 lin. 1. *per* leg. pet.
158 lin. 7. *denovo* leg. denuo.
159 lin. 19. *aegrae* leg. aegre.
180 in ſchol. lin. 11. *χαλάξη* leg. χαλάζη.
182 in ſchol. lin. 5. *Scithia* leg. Scythia.
ibid. lin. 6. *anationem* leg. ſanationem.
183 in ſchol. lin. 7. *rigidis* leg frigidis.
192 lin. 11 *plorate* leg. plorare.